



**De pacificatione et concordia inter illvstrissimos principes et
dominos Lvnaeburgenses, Henricum & Guilielmum, &
inclytam Vrbem Lune?burgam, inita Anno 1563. Mense Aprili,
Cellis. : Gratiarvm actio ad Devm, pro hac inita Pace &
Concordia. Narratio de solenni pacificationis huius
confirmatione, & Precatio ad Sanctam Trinitatem. Narratio de
origine, incremento, & conseruatione Lunæburgæ, & Ecclesiæ
in ea instauratione, deq?[ue] illis, quæ in hac Vrbe, eiusq?[ue]
uicinia, sunt & spectantur præcipua.**

<https://hdl.handle.net/1874/416862>

DE PACIFICATIO.
NE ET CONCORDIA

5

INTER IL-
LVSTRISSIMOS PRIN-
CIPES ET DOMINOS LVNAE=burgenses, Henricum & Guilielmum, & inclytam Vrbem Lunęburgam, ini-
ta Anno 1563. Mense Aprili,
Cellis.

GRATIARVM ACTIO AD DEVVM,
pro hac inita Pace & Concordia,

NARRATIO DE SOLENNI PACI-
ficationis huius confirmatione, & Precatio
ad Sanctam Trinitatem.

NARRATIO DE ORIGINE, IN-
cremente, & conservatione Lunęburgae, &
Ecclesiæ in ea instauratione: deq; illis, que
in hac Urbe, eiusq; vicinia, sunt & spe-
ctantur præcipua.

LVCA LOSSIO
AUTORE

LVNÆBURGA.
Vici, Bardorum, veteris, sum struta ruinæ
Tutela cresco, sto, maneoq; Dei.
Fontis, quo celebror, Domini bonitate, per orbem
In multis fundo larga fluens, salis.

M. D. LXIII

ENCOMION CONCOR-
diae & pacis, ex Psalm. 133. Ecce quam
bonum, & quam iucundum, habi-
tare fratres in unum.

En, quos unanimis iungit concordia felix,

Et sociat sognū dulcis amorq; pius:

Cōmoda quanta ferant tales quam dulcia fratres.

A Domino, tanta pro pietate, Deo?

Sicut Aaronis fragrans de uertice fusum

Vnguentum à barba uestis ad ima fluit.

Atq; replete totum stillantia balsama templum,

Dulcis & in toto corpore spirat odor:

Pontifice à Christo summo sic defluit almus

Spiritus, in cœtus, donaq; multa, pios.

Dogmate consensus, fratris dilectio, mentis

Lætitia & trepidæ, sanctus amorq; Dei.

Et uelut aérius descendens cœlitus humor,

De Libano, in sanctum, monte, Siona, fluit.

Omnia fœcundo recreans ceu nectare cœli,

Montibus & campis, quæ sata cunq; uirent:

Sic alit & seruat felix concordia plebem,

Exiguas magnas reddit opesq; citò.

Sic Deus, est almæ pacis qui summus amator,

Vnanimes seruat, iuuat, amatq; pios.

Pacificos celebrat Dominus sic ipse beatos:

Promittens cunctis gaudia leta Dei.

Matthæi 5.

Μακάροι ἐγίνονται, ὅτι αὐτοὶ οἱ

Θεοὶ κληθήσονται.

EXIMIAE INDOLIS,

ET MAGNAE SPEI, PRAESTANT
tis uirtutis, doctrinæ & sapientie adolescentibus,
HENRICO et HIERONYMO Vuitzen-

dorff, Domini Francisci Vuitzendorff, Consu
lis Lunæburgensis clarissimi, ceterorumq;

Dominorum, patriciorum, et ciuium

Lunæburgensium, filijs, Lucas

Loßius S. D.

Psalmo CXXXIII.



CCE QVAM BO
num, & quām iucundum, habitare fratres
in unum:

Quoniam illic man
dauit Dominus bene
ditionem, & uitam

usq; in seculum.

Reuera est ingens donum Dei, & be
neficium iucundum, utile & necessari
um concordia, & consensus uoluntatū
gubernatorum & subditorum in Eccle
sia, politijs, & cœconomijs, mutuus a
mor, & officiorum communicatio, co
habitatio, & conuictus dulcis & frater
nus, sicut Propheta pacem hanc com

A 2

parat precioso illi & fragrantissimo unguento seu balsamo, quod, tanquam singularē donum diuinum, fuit tantum in Palestina, efficax ad sananda uulnera, & uirium animorum et corporum recreationem, & conseruationem, sicut Propheta inquit. Est hæc pax & concordia sicut oleum seu unguentum preciosum super caput, quod descendit in barbam Aharon, quod descendit in oram uestimenti eius: Et Rori, quo recreantur & reficiuntur in siccitate & æstu, sata & herbae in montibus, & agris, quemadmodum addit: Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Et poëta Ethnicus, intelligens hanc pacis & concordiae dulcissimam utilitatem, inquit:

* Pax optima rerum,

Quas homini nosse datum est, Pax una triumphis
Innumeris potior, Pax custodire salutem,
Et ciues æquare potens.

Cum igitur tantum sit bonum pax & concordia, meritò agimus nos gratias æterno & misericordi Deo, æterno patri domini nostri Iesu Christi, quod tandem singulari bonitate et clementia, patrem & concordiam, tot annis exoptatum, inter Illustrissimos principes & dominos

minos nostros, & ciuitatem nostram, nobis concessit. Vult enim Deus, ut beneficia sua & corporis & animæ, agnoscamus, & celebremus gratis mentibus, & alios etiam nostro exemplo ad gratitudinem inuitemus: & uerè punit ingratos, sicut de leprosis nouem inquit ad Samaritanum gratum: Nónne decem sancti sunt, ubi autem illi nouem? Non est inuentus, qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena? Deinde petamus ab eodem æterno Deo, & patre Domini nostri Iesu Christi, eorumque spiritu sancto, ut initam pacem conseruet inter nos firmam & perpetuam, & caueamus occasiones dissensionum, & bellorum, quæ & uictis & uictoribus plerunque sunt lachrymosa, sicut dicitur in Græco uersiculo, Κλαίε ὁ νικηθεὶς, ὁ δὲ νικῶν ἐπόλωλγν. Hoc est, flet uictor, uictus autem periret. Et, οὐδὲν ἀναμελέσειται προσωποφ. Id est, Nemo incruentum triumphum statuit. Quod non solum exempla docent nostrorum temporum, sed etiam dissidium illud luctuosum, quod anno Christi 1371. Diabolus perpetuus homicida & hostis filij Dei, & eius Ecclesiæ, inter Illustrissimum Du-

cem D. MAGNVM, & ciuitatem nostrā accēdit, in quo utrinq; cædes factæ sunt, et ex improuiso occupata est ciuitas noſtra, sed diuinitū statim liberata, & inita rursus ab utraq; parte pax et concordia. Et translatum est etiam illis temporibus dominiū huius Ducatus ad Duces Me- gapolitanos: sed etiam & illud, diuina clementia, ad ueros Dominos, post pau- cos annos, redijt. Et Anno 1519. Deus ui- **stor**ia ornauit Illustrissimum Ducem D. HENRICVM, & Illustrissimum Princi- pem & Ducem D. ERNESTVM, & no- stroſ iam principes Illustrissimos, & Do- minos clementissimos, D. HENRICVM & GUILIELMVM mirabiliter conser- uauit, & conseruat adhuc contra ponti- ficias comminationes, & multa alia pe- ricula. Hæc ingentia beneficia, seruati o- lím & ducatus & ciuitatis nostræ, & sa- pe restitutę pacis, agnoscere et celebrare debemus omnes, memoriamq; eorum transmittere ad posteros, & conseruare animorum consensum mutua beneuo- lentia, officiorum communicatione, & præstanda debita, & erga Illustriss. Prin- cipes, et Senatum inclytum, obedientia. Et cauere etiam, ne securitate & ingratifi- cione

DEDICATORIA.

7

tudine nostra, quæ usitata sunt, post libe-
rationē & accepta beneficia, conces-
sam pacem amittamus, & nouas calamiti-
tates accersamus peccatis nostris, con-
temptu uerbi Dei, intemperantia uitæ,
luxu, & alijs, sicut Neem. 9. dicitur de Isra-
elitis: Comederūt & saturati sunt, & im-
pinguati sunt, & abundauerūt in delijs
suis, in bonitate tua. Et dedisti eos in ma-
nū hostium suorum, & afflixerunt eos.

Nos breuem formam gratiarū actio-
nis dicendæ ad Deū, pro beneficio con-
cordiæ & pacis inter Illustriss. Principes
& ciuitatem, anno 1563. facte, composui-
mus, & precationis pro ciuitate nostra,
& ducatu: ac narrationem de solenni pa-
cificationis confirmatione, atq; de ori-
gine Vrbis nostræ, incremento & con-
seruatione, deq; instaurata Ecclesia, et a-
lia quædam, quasi brevia epigrammata,
de illis quæ in urbe nostra & uicinia eius
conspiciuntur, & sunt præcipua & me-
morabilia. Vobis autem, adolescentes
optimi et charissimi, alijsq; ciuitatis no-
stræ omnibus, dedico & trado libellum
hunc, ut aliquam gratiæ mentis significa-
tionē publicè ederem, pro multis bene-
ficijs in me priuatim, & publicè in scho-

Iam & Ecclesiā collatis cūm ab alijs Do-
minis, patricijs, & ciuibus huius inclytæ
& celeberrimæ ciuitatis, tum uero à pa-
tre uestro, uiro præstanti pietate, doctrinæ
uirtute, et sapientia, cuius gubernati-
one, sapientia, et actionibus, et Illustriss.
Principis, & Domini, D. Eberhardi ab
Holle, Episcopi Lubecensis reuerendissi-
mi, præcipue pax & cōcordia hæc, per
gratiam & clementiam Dei, inita est, &
parta. Deinde etiā, ut significationē ali-
quam ederem in cæ erga uos beneuolen-
tiæ et amoris, quo uos et totam scholam
psequor: & oro æternū patrem Domi-
ni nostri Iesu Christi, ut uos, cognatos
uestros, patruos, uiros præstantiapien-
tia, uirtute, & doctrina, affines, patrue-
les, dominos, uiros patricios & ciues, o-
mnesq; totius ducatus et ciuitatis uiros
præstantes et alumnos, et Illustriss. prin-
cipes & dominos nostros, coniugem Il-
lustrissimam, sobolemq; inclytā ad glo-
riam sui sanctissimi nominis, & salutare
& piam gubernationem ducatus & ci-
uitatis conseruet quamdiutissimè inco-
lumes & florentes, Amen. Beata ua-
lete. Data Lunæburgæ. Anno

1564. Calendis Ianuarij.

GRA.

GRATIA
RVM ACTIO PRO
INITA CONCORDIA ET
pace inter Illustrissimos Principes Lu-
næburgenses, & ciuitatem inlytam
Lunæburgam: & petitio pro ea
conseruanda ad Deum.

SVmme Deus, nostras facili qui percipis aure,
Ad te, quas facimus, pectore & ore, preces.
Atq; tui donas quæcunq; in nomine Gnati,
Te petimus, cari, non dubitante fide.
Nunc etiam placeant, grato quas pectore laudes,
Per Gnati nomen, dicimus, almè Deus.
Sunt tua in humanū genus edita multa per orbem
Munera, quæ dignè nemo referre potest.
Ex terræ informi massa nos ipse creasti,
Participes mentis nos facis esse tuæ.
Et recipis primos, Gnato mediante, parentes,
Deponens iræ pondera magna tuæ.
Qui carnis nostræ massam, demissus Olympo,
Induit, è casta uirgine natus homa.
Qui moriens, nostro soluit pro crimine λύτρα.
Reddidit & uitam, iustitiamq; nouam.
Sancta sui spargit qui verbi semina, in orbe
Conseruat cœtius, consociatq; pios.

Corporis & clemens huius dat commoda uitæ,
 Inter & hæc pacis commoda magna bonæ.
 Aurea pax homines sociat, pax optima rerum,
 Est potior bello, pax uel iniqua, truci.
 Res magnas subitò tenuat discordia demens,
 Pax beat exiguas, pax cumulatq; breui.
 Alma Dei donum pax est ditisimarerum,
 Pacifici terram, regna beata, tenent.
 Ergo tibi meritas agimus, pater optime, grates,
 Christe Deifili, spiritus alme, tibi.
 Aurea quod nobis per te pax uenit in Vrbem
 Nuper de celsa Principis arce boni.
 Tempore quam longo quantis hei sumptibus inter
 Est actum patres sæpe Ducesq; bonos?
 Aurea pax uultu Ducibus Patribusq; benigno,
 Pectora consociet, dissociata diu.
 Tu, si quando uoles, bellum de gentibus auferas,
 Vsq; sub extremas, ultima regna, plagas.
 Preualidos arcus, & acutas conteris hastas,
 Currius & celeres frangis & ipserotas.
 O quoties trepidæ matres castæq; puellæ,
 Dixerunt, lauro pax redimita ueni.
 Profuit hic sumptus, nihil hic sapientia magna,
 Iustaq; nil precio, sanguine parta, nihil.
 Inclita dum flectis Dominorum pectora clara,
 Numine tu sancti pneumatis, alme pater.
 Aequa magis patribus proponant fœderapacis,
 Fœdera, quæ firma, non uiolanda, Deus.
 Flectis

Flectis &, excellens quorum sapientia, uirtus,
Doctrina, & præstans tam pietasq; uiget.
Inclita quos multos claro stemmate natos,
Hæc habet illustres terra domusq; uiros.
Quos inter Thomas claret Grotenius, alter
Eloquio Nestor, consilioq; senex.
Tuq; decus, totum cuius, Clammere, per orbem
Pectoris & lingue gloria magna uiget.
Vosq; duo clari fratres de stirpe uetus ta,
A Vuensen, terræ Principibusq; salus.
Quos inter magnum decus est Iachimus, in aula,
Mollerius, patriæ gloria clara sue.
Non opis est nostræ, tantorum dicere laudes
Herorum, magna pro bonitate, satis.
Laudibus est quorum dicendis impar & ipsa
Andini Vatis, Nasoq; Musa tua.
Principis ast laudes solus diuinus Apollo
Diuinas cantet, Pieridumq; chori.
Nostra refert ducto tenuis modò carmine Musa,
Fædera qui nobis grata tulere, uiros.
Principis ad Cellam nostra mittuntur ab Urbe,
Doctrina insignes & pietate uiri.
Inclitus it primus præstans Eberardus ab Holle,
Princeps & præful, clara Lubeca, tuus.
Hic tua præcellens nituit sapientia, Princeps,
Et pietas, studium, pacis amorq; bona.
Namq; tuo imprimis pax hæc est parta labore,
Quam toties patres, quam petiere Duces.

Nos

Nos ergo meritas, præsul dignissime, grates
 Dicimus, hac tanta pro bonitate, tibi.
 Atq; tuum nomen clarum, laudes q; manebunt,
 Quam manet urbs Phœbes, terraq; clara, diu.
 Alter es è patrum coetu, Francisce, honorum,
 Vuitzendorff, patriæ gloria magnatue.
 Magna tua e virtus, pietas, sapientia magna,
 Ciubis hæc pacis, munera grata, tulit.
 Ergo tuum Pylios nomen florebit in annos,
 Qui patriæ confers commoda tanta tue.
 Consul hic, ô uiuat, ciues hic dicite, consul,
 Qui patriæ est columen, præsidium q; salutis.
 Huic tu consul eras iunctus, præclare Georgi,
 Lafferdes fidus, consilijsq; bonus.
 Quo, precor, ut felix tanto sis consule ciuis,
 Atq; diu optata pace fruare bona.
 Syndicus hinc doctor sequitur Tutzradius Vrbis,
 Mellifluum cuius nectar ab ore fluit.
 Doctor hic ô quantos clarus, quot sepe labores
 Pertulit, hac causa pacis, in Vrbe diu?
 Tu quibus adiunctus fueras, præclare Georgi,
 Spes patriæ, Tobing, spes generisq; tui.
 Cuius erat quoddam pater hac quoq; clarus in Vrbe,
 Eloquio, consul, consilijsq; bonus.
 Qualis e Hinricus, proles dignissima patris,
 Nunc generis, consul, gloria clara sui est.
 Tuq; simul, præstans, ißes, Francisce uerende,
 A Dassel, cuius gloria tanta uiget:
Quantus

Quantus eras quondam consul, p̄eclare Ludolphe.
 Filius est consul, tantus in Vrbe, tuus.
 Ast iter hoc clarum, morbi non fatalè,
 Morbum, quem magna fers pietate, grauem.
 Non tamen hæc pacis sine te sunt foedera facta,
 Es qui consilijs, Nestor, in Vrbe, senex.
 Tuq; simal, p̄estans isses Hieronyme, clarus
 Vuitzendorff, quondam consul in Vrbe pius.
 Et Niclae simal Stoteroggi, tuq; Georgi,
 Isseis o Tobing, spesq; decusq; tuis.
 Iset & Hartuicus Schomaker, consul & ipse,
 Consilijs magnus, consilijsq; bonus.
 Hei quoties ciues, quoties hunc clare Senatus,
 Expetis, o Musæ Pierides q; uirum?
 Iset & Hinricus fortunæ dotibus austus,
 Garlopius, rectis consilijsq; ualens.
 Hos quoq; tu consul Stoteroggi, Hartuice, petisti,
 O quoties, consul tantus in Vrbe, dies?
 Hos petiit clarus Theodorus, consul & ipse,
 Eloquio Eluerus, consilijsq; bonus.
 Et petiere omnes longis hæc tempora uotis:
 Ordo patrum totus, patriciusq; petit.
 Sed nihil est, contra ualeat quod fatala Deorum,
 Que nobis tantos eripuere uiros.
 Pallida non cuiquam uasto mors parcit in orbe?
 Magnes eum paruis mors rapit atra uiros.
 Ergo, preeor, Pylios serues hos, Christe per annos:
 Eximia fulgent qui pietate uiros.

Alm.

Alme qui nobis peperere hæc fœdera pacis,
 Fœdera, quæ maneat, te, rata, Christe, precor.
 Et serua populum, serua totumq; Senatum,
 Et ciues omnes, patriciosq; uiros.
 Principis & serua uitam, terramq; tuere:
 Coniugis eximiae pectora clara foue.
 Salve leta dies, nobis qua uenit in Vrbem
 Aurea pax nuper, pro bonitate Dei.
 Nunc populus Domino laudes, dic, carmina Christi
 Pax tibi quo uenit candida, dante Deo. (sto,
 Aurea, dic, maneat nobis diuturna per Vrbem
 Pax, Princeps noster sit maneatq; pater.
 Gloria sit Patri, populus dic, gloria Christo,
 Gloria, dic, sancto Spiritus alme, tibi.
 Expectata quidē est lōgo hæc pax tempore nobis,
 Sera Deus pacis gaudia leta dedit.
 Quæ Deus in longum differt, cum fœnore donat,
 Munera, diuina pro bonitate, pijs.
 Nil oticis pressum longè sic liberat oris,
 Sæuitia populū, post pia uota, Deus.
 Liberat Achasiden, Solymæ cùm mœnia sanctæ
 Obsidet, atq; hostis sœuit ubiq; ferox.
 Eripit ærumnis, spes est ubi nulla salutis,
 Solus & est misericors ultima cura Deus.
 Sic Deus audiuit longa & post temporanostras
 Multas, quas facimus pectore & ore, preces.
 Principis ut clari mentem, sancti q; Senatus
 Elegeret, ad pacis fœdera certa, Deus.

Regis

Regis Danorum coniunx, atq; inclita Gnata,
 Principis est coniunx quæ, Dorothaea, pif.
 Consilijs pacem rectis uerbisq; benignis,
 O quoties uotis hanc petiere suis?
 Inclitus & suasit pacem Rex, pacis amator,
 Deliciae populi dictus amorq; sui.
 Ergo Deum in uita præsentem, & mortis in hora
 Sensit, & in cœlo gaudia lœta capit.
 Non Deus est numen surdum, non lumine cassum,
 Qualia gentilis, numina, Creta, colis.
 Nam uidet ærumnas nostras, & nomine Gnati,
 Quas facimus, placida percipit aure, preces.
 Dic populus Christo, toto dic pectore grates,
 Aurea, quo Domino, pax tibi, dante, reddit.
 Sæpe pius facito claro pro Principe uota,
 Sit tua, dic, Princeps, maxima cura Deus.
 Atq; etiam Ciues, nostræ sanctumq; Senatum
 Vrbis, dic serua, Christe benigne, diu.
 Quæ faciunt omnes concordi pace per orbem:
 Ad laudem cedant omnia, Christe, tuam.

ALIA, IN CANTI-

CVM ECCLESIAE, GLORIA
 in excelsis Deo, Allein Gott in
 der Höhe sei ehr.

AD TRINITATEM.

Gloria summa Deo soli sit, in æthere celso,
 Gratia pro multis gratuitisq; bonis.
Hie

Hic quia nos Dominus clemens tutatur ubiq;
Noxiare nobis nulla nocere potest.

Eudoxia in nobis Domino est, et grata uoluptas
Candida pax regnat, bella cruenta silent.

I. Ad Deum Patrem.

Te nos, sancte Deus, summo ueneramur honore,
Gratianur magna pro bonitate tibi.
Namq; pater certo moderaris numine cuncta,
Omnipotens uirtus qua tua fine carct.
Quod tua mandauit, mox fit diuina uoluntas,
Felices, Dominus quos souet ipse bonus.

II. Ad Deum Filium.

Christe Dei splendens patris cœlestis imago,
Unice de patris prodite mente Dei.
Nostris quod perijt generis placator, & iræ
Sedator ſœue, pro bonitate Dei.
Agne Dei præsens, dura feruato in omni
Re, petimus, nostri commiserere Deus.

III. Ad Deum Spiritum sanctum.

Spiritus alme Deus, rerum pater optime sancte,
Solator duris rebus ubiq; bonus.
Dæmona nos contra feruato, spiritus alme,
Sanguine quos Christus vindicat ipse suo.
Omnia de nobis longè mala pellito clemens,
Quæ petimus, præsta, non dubitante fide.

NARRA

NARRATIO BRE-
VIS, DE SOLENNI PACIFI-
cationis inter Illustrissimos Principes
& Dominos, D. Henricum & Guilhel-
mum, Duces Lunæburgenses, & in-
clytam Ciuitatem Lunæburgam
initæ, confirmatione, facta
Anno 1562. 19. Augusti,
Lunæburgæ.

PHœbus in astrifero perages ubi clarus Olym-
Saluifico à partu, Virgo beata, tuo (po,
Annos mille dedit, quingentos, atq; per orbem
Sexaginta simul, tempora lœta, duos.
Atq; decem tepidos Sextilis ritè nouemq;
Soles, Oceanum cum cita Virgo fugit:
Conuenere Duces, clari uirtutibus, Vrbe,
Hinricus, Phœbes, Guilhemiusq; pij.
Conuenere Duces, longa comitante caterua,
Conuénit ueterum clara propago uirum.
Fœdera qui pacis firment, quæ nuper in Vrbe
Inter sunt Patres facta, Ducesq; bonos.
Lœta dies uenit pacis, qua fœdera iuncta,
Dic populus summo carmina grata Deo.
Ingressos Vrbem, Ciues, Patresq; salutant,
Excipiuntq; pios, debito honore, Duces,
Hinc dextrasiungunt fidei, Patresq; Ducesq;
Gratantes, tanta pro bonitate, Deo.

Fœdera pōst sanctis firmant solennia uerbis,
 Fœdera, quæ nulli sunt uiolanda uiro.
 Diclytus hæc Princeps ad clarum uerba Senatum,
 Adiurans, dixit, numina summa, manu:
 Nos Dominos uobis fidos Patresq; futuros,
 Per summi iuro munia sancta Dei.
 Hinc populus Ducibus iurans, clarusq; Senatus,
 Perpetuum firmant per pia uerba fidem.
 Sic ubi sanxerunt pia pacis fœdera utrinq;
 Et fecit Domino plebs sua uota Deo:
 Gratantes ineunt cœnas, paterasq; coronant,
 Et læti Domino carmina læta canunt.
 Læta dies uenit, lætum Pæana canamus:
 Laudemus summa pro bonitate Deum.
 Tu, bone Christe, nouæ clemens pia fœdera pacis
 Ad laudem firma nominis, oro, tui.
 Ut tibi per terram fiant, tibi grata per Vrbem,
 Fœdera qui sancis solus in orbe Deus.

P R E C A T I O A D T R I N I T A-

tem, pro inclyta Lunæburga, & Duca-
 tu Lunæburgensi, eiusq; Dominis,
 & gubernatoribus illustrissi-
 mis, inclytis & gene-
 rosis.

Sancte Deus Pater, atq; Patris mitissime Gnate,
 Quiq; simul coleris, spiritus alme, Deus,
 Verbes

Vrbes qui clemens, arces, qui regna tueris,

Gnati quæ seruant dogmata sancta Dei.

Hanc, precor, ut serues Vrbem, clarumq; Senatum,

Atq; pium soueas semen in Vrbe tibi.

Et ueterum leges quondam, Pater optime, partas,

Iuraq; defendas, pro bonitate, precor.

Tu nisi pro solita serues bonitate Senatum,

Illi⁹ & mentem consilijs q; regas:

Inclita non poterit proprijs, pater optime, nostra

Te sine consilijs Vrbs superesse diu.

Te sine nil uires poterunt, nil mœnia, fossæ,

Consilium prudens, diuitiæq; nihil.

Ergo, rogo, patribus sanctas tu suffice mentes,

Da uires clemens, consiliumq; bonum.

Vt populum semper moderentur legibus æquis,

Legibus & populus pareat ipse bonis.

Sæcta sonent semper tua dogmata, Christe, per Vr-

Pax uigeat clara semper in Vrbe bona. (bem,

Vrbem defendas clemens, pater optime, ut olim,

Hostis cum subito mœnia clarus habet.

Tempore, quo tacitus concedit nocte silenti

Muros hostilis dux, tua, M A G N E, manus.

Hostis habet muros, capta dominatur in Vrbe,

Omnibus intentat uulnera sœua, necem.

Hei matrum quanto miscentur mœnia luciliu,

Hei pauor hic ciues quantus in Vrbe tenet;

Quis cladem illius noctis, quis funera fando

Explicit, & lachrymis æquiparare queat?

Hei, tum summa dies, & ineluctabile tempus,
 Vrbs, tibi uenisset, seruitumq; graue.
 Eriperet nisi te tum clemens ipse periclis
 His tantis, solita pro bonitate, Deus.
 Namq; manum hostilem diuino robore uincunt
 Ciues, quos captos hostis in Vrbe tenet.
 „ Sic Deus oppressos clementer liberat ipse,
 „ Cum spes iam certae nulla salutis adest.
 „ Nunc etiam factam firma, Pater optime, pacem,
 Atq; Ducum mentes, tu, populiq; rege.
 Ne similes ullo crudeles tempore cædes
 Edant, sed placide fœdera facta colant.
 Principis & uitam serues, aulamq; benignè,
 Inclyta sint curæ pectora, Christe, tibi.
 Inclyta sit coniunx curæ, sit & inlyta proles
 Principis, est cuius gloria tanta pijs.
 Da, pater, ut totum tibi fiant grata per orbem,
 Daq; pijs regni gaudia leta tui.

NARRATIO DE ORI GINE, INCREMENTO, CONSER UATIONE & DEFENSIONE INCLYTÆ LUNA BURGÆ, ECCLESIAE INSTAURATIONE: DE Q ILLIS QUÆ IN HAC VRBE, EIUSQ; UI CINIA, SUNT, & SPECTANTUR PRAEcipua.

VRBS iacet Actoas inter clarissima septem
 Vandalicas, Phœbe, nomine dicta tuo.
 Quam

Quam Deus ornavit præclaram dotibus Urbem,
Arctus præ multis quas borealis habet.

Fert animus Phœbes ortus, fert dicere primos
Urbis, et ut uires ceperit illa suas.

Quosq; sibi autores habeat, de stemmate claro,
Quanq; sit in summis sæpe beata malis.

Hæc mea dum tenuis meditatur dicere Musa,
In carmen uires suffice, Christe, mihi.

Fama quidem, uirtus, pietas, laudes q; merentur
Illiūs, dici carmine, Noso, tuo.

Carmine uel Vatis, cuius sunt mœnia clara,
Troia, et Idalie Gnatus in orbe Deæ.

Sæpe etiam in magnis laudatur recta uoluntas,
Et magnis parui carmina digna canunt.

Ergo tuas paruo magna quo carnæ laudes,
Hoc celebro, grata suscipe, clara, manu.

Arx antiqua fuit, Romane condita genti,
Sedibus Arctois, Saxonicoq; solo.

Annis, ut referum, sexaginta quoq; quinq;
Ante, Deum mundo quam pia Virgo parit.

Gentibus à stultis, Lunæ de nomine dicta,
Numinis Idolum quod coluere loco.

Arx fuit ex pago Mōdstorþ hæc condita primum,
Accola, qui montem tum prope pagus erat.

CAROLus Idolum Lunæ quod Cæsar ab arce
Sustulit, Idoli et numina tetra pius.

CAROLus hic primum docuit celebrare per oræ
Saxonicas, uerum religione Deum.

Ante na-
tum Chri-
stum 65.

Condidit & cætus Christo, & Collegia multa,

Atq; pias, magna pro pietate, Scholas.

Pallados his artes pubes doceatur honestas,

Et cultus ueri notitiamq; Dei.

Cæsare, quo toto non alter amantior orbe

Dogmatis & uerae religionis erat.

Mœnia post Arcis renouat de stirpe uetus,

Anno Christi cir
citer 969. HERMANNVS BILING, carus ubiq; bonis.

Magnorum BILING Dominorum clara propago,

Quem Cæsar tantum diligis, OTTO, uirum.

Quis se non BILING optet de stemmate natum,

Cuius tam clarum fulget in orbe decus?

A VVEDEKINT clari materno stemmate natus

EST BILING regis, clara propago Ducum.

Nobilis hic uerè est, genitum quem stirpe uetus,

Condecorat uirtus, ingenijq; decus.

CAROLus hunc regem MAGNUS conuertit in oris

Saxonie, ad Christi notitiamq; Dei.

Et fidei testem Regi se fonte sacrato

Abluto, summa pro pietate, facit.

Mœnia post urbis Lunæ sunt structa ruinis

Anno Christi
1188. uel Tempore, quo Princeps HINricus sceptra tenebat

1189. SAXONIE, dictus nomine, req; LEO.

Munere nunc fontis salis est celebrata per orbem

Vrbs Lunæ, cura, stansq; uigensq; Dei.

Vrbs antiqua fuit Bardorum Vicus, in oris

Vandalicis, quondam bello opibusq; potens.

Dives

Dives opum quoddam BARdwick, nunc fertile, men-

Fert olus ac rapas, pisa, nucesq; solum. (sis

Nil manet humanis quicquam durabile rebus,

Tempore que florent interiere breui.

His LVNAE primum paruis Vrbs cæpta ruinis,

In tantam crevit robore, & aucta bonis.

Cui posuit clarus primum fundamina Princeps

HINRICVS, leges, iuraq; sancta, LEO.

Atq; magistratus legit, clarumq; Senatum,

Et multis auxit condecoratq; bonis.

Atq; alij longo comitantes ordine clari,

Auxerunt Vrbis mœnia, iura, Ducces.

Hos inter BILING HERmannus, sanguine cuius

Descendunt Lumæ, clara propago, Ducces.

Angelicum hic primus templi pius extruit, ornat,

Et redditus donat, diuitijsq; beat.

Quem sequeris BENNO primus, clarissime Prin-

Digne tuo meritis & pietate patre. (ceps,

Tertiis, hoc ortus BERNHARDUS stemmate auito,

Ciuibus in primis plurima iura dedit.

Tanta fuit quondam bonitas pia, tantus amorq;

Erga urbes, claris Principibusq; uiris.

Vrbes tunc florent claræ, & sunt regna beata,

Hostis que nullus prævaluisse queat:

Stemmate cum clari propugnant mœnia, & urbes,

Atq; urbes claros stemmate ritè iuuant.

Distrahit infensas mala cum discordia mentes,

Commoda & alterius iuraq; quisq; petit.

„ Florentes percunt urbes, pereuntq; beata
 „ Regna, citò bellis, disidijsq; malis.
 „ Magna licet paruis Vrbs creuit clararuinis,
 „ Atq; alias inter sustulit alta caput:
 Attamen hei magnis agitata est sàpe periclis,
 Immerito & duris Vrbs bona pressa malis.
 Sed Deus in cunctis Vrbem seruauit, & auxit
 Consilium Patribus, præsidiumq; ferens.

An. Chri- Inlyta sic seruat Dominus, cum nocte silenti
 sti 1371. Scandit & haec hostis mœnia, clarus habet.

Eripis hic Ciues, clemens, sanctumq; Senatum,
 Vnica & es captis spesq; salusq;, Deus.

„ Ah hominum saeuis tanta ne mentibus iræ,
 „ Mutua ut inter se bella cruenta gerant?
 „ Vulnera & intetent sibi, mortem, hostilibus armis,
 „ Quos placidam ad pacem condidit ipse Deus?
 „ Iussit & unanimes inter se ducere uitam,
 „ Promittens cœli gaudia leta pijs.

Anno Christi
 1455. Seruat & est inter populum cum motus in Urbe,
 Plebs furit in Patres, non bene sana, bonos.

Eiicit & mutat ueterem plebs saeva Senatum,
 Constituit Patres, seditiosa, nouos.

„ Componit populi motus, & pectora mulcet,
 „ Mentes coniungit, consociatq; Deus.

„ Hos Vrbis motus facis, ô Romane Sacerdos,
 In sanctos torquens fulmina saeva Patres.

Fulmina, quæ Latia monialis cudit in urbe,
 Præpositus Schaper, saeuaq; rasa cohors.

Fulmine

Fulmine quo consul tactus, tu clare, minaci,
Springudi, propria turre necatus obis.

Turris, quæ nuper decus & munimen in Vrbe,
Concidit in cineres, fulmine tacta truci.

Hei trepidis quantum flammæ incusere timorem,
Omnia ne pereant culmina, templa, domus.

Sed subito flamas trepidante extinxit in Vrbe
Ardenteis, summa pro bonitate, Deus.

Sic Deus hanc Vrbem seruat, quo cunq; periclo,
Ipsum quæ uero pectore & ore colit.

Sic seruat cunctos, seruant qui dogmata Gnati,
Inq; fide faciunt, non dubitante, preces.

Audijt & nostras, clemens, sic tempore multo,
Quas querulo ad Dominum fidimus ore pre-

lungeret optatæ tandem pia fœdera pacis, (ces.
Cum Patribus claris, pectora clara Ducum.

Audijt, & pacis pia nunc sunt fœdera facta
Inlyta, sunt Patribus pectora iuncta Ducum.

Ergo tibi toto, Pater optime, pectore grates
Dicimus ex merito, quod tua cura sumus.

Teq; precor, clemens Pater, haec ut moenia serues,
Hostibus à saeuis, ut tueare, precor.

O pater, o saeuos posthac auertito motus,
Atq; Patrum mentes, Principis atq; rege.

Inter se strages ullo ne tempore saeuas,
Mutua nec quondam bella cruenta gerant.

Dulcia cum Ducibus firmes, rogo, fœdera claris,
Ad sancti laudes nominis ipse tui.

Anno
Christi
1562. 4.
Decemb.

Anno
Christi
1562. mens.
se April.

Inclita clarorum coniungito pectora Regum,
 Quorum coniungunt fœdera tanta genus.
 Ne cædes faciant sœnas, populumq; trucident,
 Ne pereant sœnis uulneribusq; suis.
 Sancta tui serua nos inter dogmata Gnati,
 Et regni hæredes nos facito esse tui.

EPI TAPHIA DVORVM PRAE
 stantium uirorum, doctrina, cognitione
 legum, eloquentia, uirtute & sapientia,
 quorum consilijs fidelibus & rectis,
 Respublica Lunæburgensis, in ma-
 ximiis delib erationibus felici-
 ter saep eusa est.

Consilijs quondam uiguit Collerus in Vrbe,
 Gregori Tilitz, tu quoq; docte, bonis.
 Nostra leues elegos mœrens hos Musa sepultis
 Fecit pro meritis, ex pietate uiris.

EPI TAPHI V M REVERENDI
 & spectabilis uiri, præstantis sapientia,
 legum cognitione, doctrina & uirtute,
D.M.Ioannis Colleri, Præpositi Eccle-
siæ ad S. Ioannem in inclita Lunæbur-
ga, & Protonotarij quōdam, & Consi-
liarij fidelissimi, nati in celebri & ueteri
oppido Stadhagen, in ditione Comitū
Illustriū Schomburgensiū: qui obiit
Anno 1536. ætatis suæ 70, cuius ima-
go spectatur in templo D.
 Mariae uirginis. AV.

AUTOR AD VIAM
torem.

Es hæc clara uiri præstans imago, uiator,

Vrbi qui Phœbes commoda multa tulit.

Qui Ciues caros habuit, clarumq; Senatum

Officijs iuuit, consilijsq; diu.

Clarus Iohannes fuit hic uirtute celebri

Colleris, felix, consilijsq; bonus.

Quem Phœbes clarum reddebat in Vrbe, uerenda

In uita probitas, consilijsq; fides.

Nanq; fuit rerum magnarum maximus usus,

Clara sacri iuris cognitioq; uiri.

Quicquid habent ueterū, nouit, monumenta uiros.

Et retulit ueteres, res retulitq; nouas. (rum,

Quas memorans populu de multis multa monebat,

Quæ patitur mundus nūc mala magna, dolens.

Hæc pia cium moritur, referebat uerba precando,

Commendans Vrbis moenia clara Deo :

Te, bone Christe, precor, ciues sanctumq; Senatum

Huius conserues Vrbis ubiq; pie.

Quæ ueteres Vrbi pepererunt iusta parentes,

Hæc, precor, ut serues in uiolata Deus.

Vt tua sancta colant uera pietate per Vrbem

Dogmata, quæ mundi sunt uia, uita, salus.

Sic orans tandem fortunam expertus utranq;

Hac clara cunctis charis in Vrbe bonis.

Cunctorum luctu rapitur uir tantus acerbo,

Expirans placide, cœlica regna petit.

DICTVM IOHANNIS COL-
Ieri, inscriptum Crateri aureo insigni,
quem Senatui in testamento
donauit.

Quotidie in peius mundi peccata ruentis,

Cernens, hoc inter plurima dicta tulit:

Bei der Münz sol man leren/

Wie sich die Welt thüt verkeren.

Discitur ex nummis, quam se male tempora mutet:

Omnia quam in peius deteriora ruant.

» *Aurei erant quondam nummi, fuit aurea etas;*

» *Nummi nunc sunt, cuprea massa, mali.*

Cuprea nunc etas hominū est, nunc cupreapro-

Inq; dies sicut post scelerata magis. Cles,

Rettulit ut Naso, ueraci carmine, doctus,

De ferro est etas ultima facta truci.

Ouid. lib.
2. Metam. *Protinus irrupit, uenae prioris, in euum*

Omne nephæ, fugere pudor, uerumq; fidesq;,

In quorum subière locum, fraudesq; doliq;.

Insidiaq; et uis, et amor sceleratus habendi.

Hæc canit in magno bifrons craterem resulgens

Ianus, de superis qui sua terga uidet.

Quo clarum donat moriens craterem Senatum,

Mentem quo gratam comprobet ipse suam.

Vngarici hoc longo præfulgent ordine numimi,

Aurea qui ueterum tempora ritè notant.

Hosq; nota primis post deteriore sequuntur,

Cupreus, extreum dum tenet ipse locum.

EPI

**EPITAPHIVM VIRI CLARIS
simi D. Gregorij Tilitz, L L. Licentia-
ti, Protonotarij, præstati uirtute, doctri-
na, eloquentia, pietate, & fide erga incly-
tam Vrbem Lunæburgā, qui obiit**

anno 1536. Sepultus in choro

templi D. Ioannis.

AD LECTOREM.

Hac etiam parua, lector, cognosce tabella,

Carus qui cunctis uixit in Vrbe uirum.

Qui sua defunctus, populi, Patrumq; dolore,

Hoc posuit templi leniter ossa solo.

Hic fuit eximius Tilitz Gregorius, Vrbis

Grammatei summi, munera summa gerens.

Hunc dedit insignem magna uirtute colendum

Vrbs Cerui montis, nomine dicta, uirum.

Doctrina Legum, lingua bonus, utilis Vrbi,

Consilijs fidus, consilijsq; ualens.

Inclita cum premitur magnis Vrbs clara periclis,

Et spes iam Patribus nulla salutis adest,

Præsidio Domini solo seruatur, & aucta

Floret consilijs, statq; manetq; bonis.

Vir fuit insignis, docta pietate, fideq;

Moribus in uitæ fulsit in ore decus.

Hic placide expirans Tilitzius, Vrbis amator

Lunæ, sic sanctas extulit ore preces:

Inclita diuino nunc Lunæburga ualebis

Præsidio, florens, consilijsq; diu.

Vrbs

berge.

Hanc

Hanc tu consilijs, neptes, serosq; nepotes,
 Qui tua sancta colent dogmata, Christe, regē.
 Hec ubi fecisset Tilitz pia uota precando,
 Exhalans animam, cœlicare regna petit.

DE INSTAVRATA ECCL E-
 sia in inclyta Lunēburga, & summis eius
 gubernatoribus quatuor, & consensu
 docentiū in tradita & accepta à D. Mar-
 tino Lutherō, D. Philippo Melantho-
 ne, D. Ioanne Pomerano, D. Casparo
 Crutzigero, D. Paulo Ebero, & alijs
 in Academia Vitebergensi olim, &
 adhuc docentibus, uera & incor-
 rupta doctrina Euangeli.

Anno Annis post Siloh de casta Virgine natum,
 1530. Exactis mille & quingentis atq; triginta,
 Comitia Augusta Regum celebrantur in urbe,
 Dogmatis his Christi, consensu forma recepta
 Est, Latij imperij sancto contenta libello,
 Inclytus hac etiam Dux Lunēburgicus Urbe,
 Princeps ER Nestus magna est pietate professus
 Doctrinam Christi constanti pectore ueram.
 Augustarediens Princeps post urbe, solutis
 Comitijs, secum magna pietate uerendum,
 Doctrina & scriptis cuius celebrata per orbem
 Iam fuerat multis, Urbanum duxit in aulam,
 Et fecit terre post summus Episcopus esset,
 Vrbs etiam primum Christi tum dogmata Phœbes
 Cœperat

Cœperat amplecti, summo ast Doctore carebat,
 Princeps eximio pietatis motus amore,
 Et studio Christi spargendi dogmata latè,
 Vrbānum Phœbes Doctorem mittit in Vrbem,
 Conſtituat cœtus & in hac etiam ille piorum,
 Ordinet, & uero confirmet dogmate Christi,
 Quod facit is magna cura, pietate, fideq;
 Vera docens, falſos cultus, & dogmata falſa
 Extirpans, non ulla nouans, faciensue tumultu,
 Omnia conſilio peragit, nil plebis ad æſtus
 Mutans, aut tribuens cuiquam, non ciuica tollens
 Iura, pedem in templo ponens non, atq; Senatum.
 Annis hinc ætis binis, à Principe claro
 Vrbanus ceſſit Cellam reuocatus ad Vrbem,
 Noſtra, memor, uirtus fuerit, quām sermo benignus,
 Quanta uiri pietas, fidei quām plurimus uſus,
 Præteriit. Cellis nuper cum mœsta sepulchrum
 Hos elegos tenuis lachrymosos Musa canebat.

EPITAPHIVM VIRI CLARIS-
 simi, D. Vrbani R̄hegi, Ducatus quon-
 dam, & Vrbis Lunēburgensis Superin-
 tendentis fidelissimi, & de tota Ecclesia
 Christiana & Scholis Iefu Christi
 omnibus optimè meriti.

RHEGIVS.

R̄hegivs hoc posui topho mea membra quieti,
 Vrbanus, Sophie Doctor & ipſe sacrae.

Vindes

Vnde lēca Princeps duxit me clarus ab urbe,
 ERNESTVS, clarus nomine Luma, tuo.
 Tempore quo regum celebris conuentus habetur,
 De uera summi relligione Dei.
 Eripit insidijs hinc me, manibusq; Latini
 Antiochi, contra qui mouet arma Deum.
 Huius ego technas, socius tibi, sancte Luthere,
 Detexi, & multis dogmata falsa libris.
Quae ratio ueræ, docui, sit uera salutis,
 In Christo dandæ, non dubitante fide.
 Et ueterum euolui de Christo oracula Vatum,
 Quis sit, & is mundo commoda quanta ferat.
 Moribus ut iuitat sanctis Ecclesia Christi,
 In multis docui, constituiq; locis.
 Clare, tuus floret sic nunc, GV Lielme, ducatus,
 In ueri constans relligione Dei.
Quā didicit primum per nos, pater in clytus olim,
 Quo melior claro Principe nullus erat.
Quos fidei iunxit uinclum, non soluit acerba
 Mors, idem p̄ceps annus utrung; rapit.
 Nostra hic in Christo placidè nunc ossa quiescūt,
 Pars melior cœli gaudia lēta capit.
 Obiit anno 1541. Cellis.
 Rhodius hunc sequitur, magna pietate, magister,
 Paulus, quem celebris nobis Goslaria misit.
 Stetiniæ hunc Princeps nostra post auocat Vrbe,
 Cognitus hunc sequitur toti Hegendorphius orbi,
 Syndicus is nostra fuerat quoq; clarus in Vrbe.
 Eripunt

Eripiunt uero nobis hunc fatum malignum,
Vix ubi sex fuerat menses hoc functus honore.
Nostra uiri hoc fecit breue carmen Musa sepulcro.

EPI TAPHIVM CLARISSIMI
& doctissimi uiri, D. Christophori Hegendorphini, LL. Doctoris, Syndici
quondam Lunæburgensis, & postea Su-
perintendentis eiusdem Ecclesiæ: qui
obiit anno 40. 8. die Mensis Augu-
sti, anno ætatis suæ 40. Sepul-
tus in templo D. Ioannis,
in medio choro.

TABELLA AD VIA-
torem.

Stemmata qui procerū spectas hic, lector, auorū,
 Hic etiam celeres sistito, docte, pedes.
 Nulla tibi monstro fusis monumenta metallis,
 Non uultus pictos, ære nitente, leues.
 Sed quem doctrinæ uirtus, pietasq; dederunt
 Spectandum, refiero, parua tabella, uirum.
 Quis fuerit, quæris? fuit Hegendorphius, olim
 Clarus qui nostræ Syndicus Vrbis erat.
 Summus ex ad Christi uigilabat ouilia Pastor,
 Et iuuit doctas, eruditq; scholas.
 Esset cum charus doctis, cunctisq; uerendus,
 Hei tantum subito fatu tulere uirum.

Hic ubi decantat puerilis carmina cœtus,
 Aeterno, summa pro bonitate, Deo:
 Leniter in sanctos cimeres resoluta quiescunt
 Ossa, tenet regnum spiritus ipse Dei.
 Palladis ut uiuis pueros dilexit alumnos,
 Sic moriens pueris ossa terenda dedit.
Quod uolui, lector, docui te, parua tabella,
 Quām clarum à nobis mors tulit atra uirum.
 Orba dolet multis & nunc Ecclesia paßim
 Doctrina claris, & pietate, uiris.
 Hos interprætans etiam tu, sancte MElanthion:
 Lætus adis nuper regna beata Dei.
 ” Lumina sunt claro splendens ut Phœbus Olympo,
 ” Castalidum docti qui pia sacra colunt.
 ” Iustitiae doctor, longum fulgebit in æuum,
 ” Stella uelut rutilans lucet in axe poli.
 Gnate Dei, si rura cœtus nunc, Christe, per orbem,
 Doctorum, rectè qui tua uerba sonant.
 Pallados hic artes discit quæ parua iuuentus,
 Te celebrans Dominum, sit tua cura, Deus.
 Atq; regas clemens populum, clarumq; Senatum,
 Qui tua, qui sancte dogmata sancta colit.
 Organa fac omnes tua sint maneantq; fideles,
 Nomina qui i. sis sancta dedere tuis.
 Hæc ubi dixisti, Lector, pia uota precatus,
 Quò tua te ducunt commoda, letus abi.
 Quartus amas pacis, sequitur Fridericus in Urbe,
 Doctrina Henninges, senio & pietate uerendus,
 Præside

Praefide quo tenuit sanctam hæc Ecclesia pacem
 Annos per multos, sincerè & dogmata Christi.
 Hunc etiam nuper Doctorem Ecclesia tantum
 Amisit: gelidus tenet hæc pia carmina tophos.

EPITAPHIVM SEV EPICE-
 dion uiri reuerendi, doctrina, iudicio,
 autoritate, uirtute, pietate, & sapientia
 præstanti, Domini M. Friderici Hennin-
 ges, Superintendentis Ecclesiæ Lunæ-
 burgensis, qui Ecclesiam hanc in sum-
 ma tranquillitate docuit, & gu-
 bernauit annis 33. obiit anno
 1563. 5. Decembris.

Hæc humus eximij Friderici membra Magistri
 Henninges, uitæ restituenda fouet.

Qui Superintendentis hic rexit pace beata
 Coetus, & sonuit dogmata uera Dei.

Vir pietate grauis, doctus, uenerandus & annis,
 Eloquio præstans, iudicioq; uigens.

Candidus, & prudens, fastuq; alienus ab omni,
 Pastoris Christi uera hic imago fuit.

Munere diuino non est Ecclesia quoquam
 Nostra sub hoc motu dilacerata nouo.

Nam sonuit constans sincerè dogmata semper,
 De meritis Christi, cultibus atq; pijs.

Autor erat pacis, Ciues interq; Senatum
 Sedulus in cunctis munia iusta gerens.

Pectora Collegis tenuit sociata benignè,
 Almae sic semper pacis amator erat.
 Dogmate ne falso quisquam uastaret ouile
 Hic Christi, magna sedulitate cauit.
 Doctorum altricem multum, teneræq; iuuentæ,
 Consilio iuuit, præsidioq; Scholam.
 Sex ubi lustra pius Christum docuisset, et annos
 Ternos, qui Pylios uiuere dignus erat:
 Hunc quoq; cūctorum uictrix mors inuida tollit,
 Clarum tam meritis, tam pietate, uirum.
 » Corporis est sublata uiri præsentis imago,
 » Fama sed absenteis non moritura uiget.
 Quem docuit semper, Christū in sua fata uocabat,
 Spicula non sensit mortis hic ulla trucis.
 Somnus erat placidus, nō mors, ubi ceſſit ad astra,
 Spiritus in cœlis gaudia lēta capit.
 Gnatum nunc docta serues pietate Magistrum,
 Nominis ad laudem, te precor, alme tui.
 Tempore quo transi p̄ire, hac, dogmata Christi,
 Praefulsi sanguinis foedis erroribus, Vrbe,
 Expurgata patris diuino munere summi,
 Quatuor hic habuit senio et pietate uerendos
 Collegas fidos, sacri uerbiq; ministros.
 Hos inter Caspar uiguit Romshagus, Vrbi
 Eloquio carus: post hunc, à Lampade clara,
 Dictus Ioannes, præstans pietate fideq;
 Ordine quem sequitur meritis Ekebergius ille,
 Qui populo carus semper, cunctisq; benignus,
 Quiq;

Quiq; erat et nostra semper sp̄ es maxima uitæ.
 Herberding quartus magna est pietate Gerhardus,
 Qui, precor, ut Pylios Vrbis sit saluus in annos.
 Vosq; alij, nostra sancte qui dogmata Christi,
 Ex Domini summa bonitate, sonatis in Urbe.
 Dogmata pura sonat quod adhuc Ecclesia Phœ-
 Non et in hac rixæ, liuor, cōtentio, pugnæ, (bes,
 Inuidia, ambitio, fastus, laudisq; cupido,
 Vincula dissoluunt pacis, non dogmata spargunt
 Falsa, nec, ut paſsim, corrumpunt dogmata uera.
 Non meritum est nostrum, uirtus, sapiēia nō est,
 Gratuitum est summi donum, bonitasq; parentis,
 Qui genus humanum summa bonitate creauit,
 Diligit in Gnato, seruat, clemensq; tuetur,
 Impedit infesti Satane conamina, et iras,
 Schismata doctorum, sectas, cædesq; cruentas.
 Cœtus ut maneant, sibi qui præconialaudis
 Dicant pro summo, quo nos complexus, amore,
 Dilectum æthereo Gnatum demisit Olympo,
 Victima pro nobis fiat, λύτρονq; per atra
 Vulnera persoluat, mortis uictorq; resurgens.
 Iustitiam reddit nobis, ueramq; salutem,
 Quæ bona per uerbū cunctis proponit et offert,
 Quæ capit ipsa fides: certam cœlestia signa.
 Menibus obsignant dubijs, cœtusq; piorum
 Coniungunt, ueramq; fidem dilectio monstrat.
 Est hæc summa breuis doctrinæ, Christus in orbē
 Quā tulit, atq; sonat nunc nostra Ecclesia puram.

Hāc, precor, ut deinceps nos inter, Christe, et ubi
 Conserues puram, consensus atq; docentū (que
 Restituas, Regum coniungas pectora amicē,
 Ne propria immanes tement in uiscera ferrum,
 Nec perdant sanctos, quorum Deus esse uolebat
 Altore, cōetus, pacem & retinere per orbem.

DE BIBLIOTHECA IN templo D. Virginis Mariæ.

Est ueterum sedes monumentis, estq; nouorum
 Bibliotheca uirū Doctorum mille referta.
 Sumptibus hæc largis multorum augetur in annos,
 Hæc inter tua præfulgent dia scripta, Luthere,
 Ettua præ multis præstis, monumēta, Melanthon.
 Virginis est templo Mariæ coniuncta beatæ,
 Templū quod Monachis sedes fuit alma uetustis.

DE INSTAVRATA SCHO- la, eiusq; primo Rectori M. Her- manno Tulichio.

Tum quoq; Musarū ac Christi instaurata benignè
 Seates, qua Christū discat, doctasq; iuuentus (est
 Artes, in uita quorum est hac maximus usus.
 „ Artibus ingenuis florent, sunt regna beata:
 „ His floret Christi felix Ecclesia in orbe.
 Tulichius Rector clarebat, missus ab Urbe
 Leucorea, sedis primus, paruæq; iuuentæ.
 Vir fuit orator clar , clarusq; poëta.

Vuestphao

Vuestphalia, Hermānus, tua quōdā gloria, Bōnus,
Eloquio præstans, defuncto hæc carmina fecit.

EPI T A P H I V M HERMANNI
Tulichij, autore Hermanno Bonno, Su-
perintendente Ecclesiæ Lubecensis.

Obiit Anno 1540. 28. Iulij, æta-
tis suæ 54.

P H A L A E C I V M.

Hermannus iacet hic Tulichus ille,
Orator bonus, & poëta felix,
Huius sceptra scholæ tenebat Vrbis
Magna laude dūt, sed ante tempus
Tantum fata uirum abstulerē mundo,
Cum moerore graui omnium bonorum.
Rector Iōannes doct̄us nunc ipse gubernat
Bathelius, magno studioq; fideq; iuuentam,
Vuestphala quem tellus doctorum misit alumna,
Vrbe satum patria, cuius Cosfeldia nomen.
Accola, nos genuit tibi Vacia, clare, Visurgis,
Quà tua cum Fulda commissus flumina Mundus,
Mille fluis passus celeres, sub montibus altis,
Regia, qua clares ueteri de nomine, sylua,
Sylua, tibi Princeps Hessorum grata uoluptas
Inlyte, seu est ap̄ros animus, seu figere ceruos.
Annos terdenos unā hac formauimus Vrbe
Artibus ingenuis, uera & pietate, iuuentam.

Reinse
walt.

DE NOVO AVDITORIO
addito Scholæ ueteri, Anno
Christi 1560.

Addidit hanc sedem Christo, Musisq; Senatus,
Antiquæ, summa pro bonitate, Scholæ.
Annos quingentos sexagintaq; patente,
Milleq;, cum rutilans Phœbus in orbe meat.
Virginis a partu castæ, quo perdita, uera
Per Christum mundo est reddita uita, salus.
” Nil sonet hæc sedes, præter tua dogmata, Christe,
” Et mores castos, literulasq; pias.
” Hinc procul, hinc absim strepitus, uocesq; petulat.
” Cursus, clamores, pugnaq; sœua, procul. (cæ,
” Sedulitas adsit, pietas, probitasq; modesta,
Hæc ornant pueros, conciliantq; Deo.

DE ILLIS, QVAE SVNT ET
spectantur præcipue memorabilia, &
insignia, intra et extra Vrbem.

AD LECTOREM.

Nunc libet & nostræ tenui deducere Musæ
Carmine, quæ Phœbes habet Vrbs insignia, lector.
Quæ nequeas præsens, hæc absens carmine nostro
Noscito, quæ muros intra spectantur, & extra.
Quisq; situs claræ, spaciū, quis et ambitus, Vrbis,
Quæ fossæ, turres, portæ, quæ mœnia, mores,
Prædia, qui fontes, syluae, quæ & amœna uireta,
Quæq;

Quæq; domus fulget ample, quæ tēpla per Vrbem,
Pocula quæ mīscēt Hammonis grata, tabernæ.

SITVS VRBIS.

Clara Selenopolis septem subiecta trioni,
Millia ab Hamburga distat septena uetus, 3elte
A te, clara Lubeca, decem, & Sotquellia dena,
Inter structa iacet montem, quæ spectat ad Arctos,
Monti, cui fecere uetus tentoria nomen, berga.
Quæ uia Bardorum Vicum deducit euntes :
Fertilis est sedes, quæ se conuertit ad Austrum.

AMBITVS INTRA MV- ros, latitudo, & longitudo.

Ambitus Vrbis habet passus bis mille, ducentos,	2252.
Quinquaginta duos, & paulò plusue minūsue.	
Quingentos patet ast in latum, clara, nouemq;	509.
A medio cœli, quæ se protendit ad Arctum,	
Tenditur in longum octingentos, atq; nouenos.	809.

AGGERES, VALLA, Fossæ & Turres.

Aggeribus vastis Vrbs est circundata, firmis
Vallis, & fossis latis, atq; undiq; moles
Assurgunt instar montis, turresq; minaces.
Sunt decus hæc Phœbes magnū, et munimē in urbe,
Non tamen his fidunt Ciues, sed nomine tantum 22

» Confidunt Domini, nomen quo d' firma tuetur
 » Arx ueluti, muros, portas, & moenia Phœbes.

MORES POPVL.

Mores sunt placidi, mista grauitate, benigni,
 Iustitiae, pacis, recti, pietatis amantes,
 Munifici, iusti, ueraces, atq; modesti,
 Iustorum ueterum pacti, legumq; tenaces.
 Dissidia oderunt, rixas, & Martia bella.
 Doctores inter, populum, sanctumq; Senatum,
 Consensus, candor, bonitas, concordia felix.
 Inlyta si queras, quibus est Respublica felix
 Phœbes, & totum celebratur clara per orbem?
 Est inter Ciues pax, est concordia dulcis,
 Est erga populi sanctos reuerentia Patres,
 Et Patres populi bona querunt, atq; salutem.
 His studijs floret, Lector, sic inlyta Phœbes
 Vrbs, tantum atq; alias inter caput extulit Vrbes.

CONSULES QVATVOR.

Vrbem nunc primi summa uirtute gubernant
 Consilijs, Pylios Christus quos seruet in annos
 Quatuor, à Dassel Franciscus stirpe uetusta,
 Hinricus meritis Tobing, preclarus auitis.
 Claræ Franciscus Vuitzendorff gloria gentis,
 Clarus consilio Laffers, senioq; uerendus.

SENA-

SENATORES VNDECIM.

Consilijs clari sunt & pietate uerendi,
 Patres undeni, querunt qui commoda plebis,
 Consilijs rectis, claræ Patriæq; salutem.
 Non opis est nostræ satis horum diecere laudes,
 Nomina pro meritis dicam celebrata per Vrbem.
 Est Statius primus Borcholt, ætate uerendus,
 Stiuerus senio Niclaus & ipse colendus.
 Hos meritis Doring sequeris, Theodore benigne:
 Tu quoq; Dusterhop præstans de gente uetus,
 Consilijsq; bonis præstans Hieronyme Glode.
 Proximus es meritis Schomaker, clare Georgi.
 Tuq; tenax recti, Tobing, præclare Senator,
 Iustitiae uindex, Kopping, morumq; uerendus.
 Hos sequeris censor, Musarum & clarus amator.
 Consilio clarus, Zerstedt Niclae, per Vrbem, es
 Proximus Harduicus Semilbecker laudibus auctus,
 Spes sequeris Borcholdt, Patriæ nō parua Georgi,
 Nestoreos seruet uos saluos Christus in annos,
 Quæritis in cunctis Patriæ qui commoda claræ.
 Quosq; nouos iunget quondam sibi in urbe Senatus,
 Commoda consilijs una qui publica querant.
 Te quoq; Tutzradi seruet, qui Syndicus Vrbem
 Consilijs rectis pius eloquoq; gubernas.
 Et meritis seruet clarū te docte Gudene, (nos,
 Teq; Hornborch seruet multos Henninge, per an-
 Et Baleman, cunctos & uos, quicunq; iuuatis
 Consilijs Vrbem Phœbes, operaq; fideli.

INTRA

INTRA VRBEM sex Portæ.

Sex fulgent Vrbis portæ : se uertit ad Ortum
Prima uetus: Lunæ quoq; nomine dicta secunda,
Occidua, quæ dicta noua est, prospectat ad undas.

138. Hæc se clara pedes centum protendit, & octo,
Et triginta unum, surgens molimine firmo,
Nomine dicta Salis, quoniam est uicina Salinæ.
Et Rubea ad medium, celebris, se uertit Olympum,
Sumptibus hæc magnis struitur nunc porta Sena.
Exuperas cunctas, opere et fundamine clara, (tus,
Concidit hæc subita, nuper collapsa, ruina,
1562. Nomine quæ Vici Bardorum est dicta uetus,
2. die Paschæ. Iamq; grauem minitans casum, se uertit ad axem.

Anno
1562.
2. die
Paschæ.

ELBENAVV, FLUVIUS.

Perfluit hæc amnis, solis quæspectat ad ortum,
Albidos à riuis duodenis fortè uocatus,
Hic, ubi Bardorum Vici est elapsus, amoenos
Hortos, miscetur longè, post, Albidos undis.
Hic pisces Vrbi, merces fert, lingnæq; farre,
Atq; salis mittit tinnas tibi, clara Lubeca,
Ett bi, quæ clares, Hammonis nomine, ad Albim.
Huc Cereris mittis prædulcem, grata, liquorem.

MONASTERIVM S.

Michaelis.

Inclitus hic, sanctos, Billing HERmannus, in vrbe
Instituit

Instituit cœtus: BENNO pōst inclytus auxit:
 Tertius hinc præstans BERNhardus munit et auget.
 Prædia dans, reditus, sylvas, auriq; tabellam.
 Hos inter cœtus uenerandos uidimus olim
 Conspicuos magna Patres pietate fideq;
 BOLDuimum Abbatem MARNholt de stirpe uetussta,
 Post hunc HERbordum, claro quoq; stemmate ab Holle,
 Castus erat, prudens, doctus, paruæq; iuuentæ
 Altor, Doctorum fautor, pietatis amator.
 Tertius est, Princeps EBERhardus clarus ab Holle,
 Atq; Patrum præstans Hinricus quartus Hademstorff.
 Ordine quos sequeris quintus VVilkine uerende,
 Præsidium cœtus, columen, decus atq; benignum.
 Quosq; habet hæc reliquos pietate fideq; colendos,
 Hos inter claret præstans Antonius Appel,
 Atq; suæ gentis spes maxima, Caspar ab Ilten.
 Musa breue hoc, BOLDuine, tuo, ac HERborde, sepulchro,
 Carmen pro meritis faciebat nostra benignis.

EPITAPHIVM D. BOLDVINI

Marnholt, Abbatis Monasterij S. Micha-
 elis in inclyta Lunæburga, uiri nobilita-
 te generis, sapientia, eloquentia, uir-
 tute, & pietate præstantis: qui
 obiit Anno Christi

1531.

Hoc, Patria clarus Marnholt, uirtute, domoq;
 Bolduinus posuit membra soluta, solo.

Abbas

Abbas qui rexit sancte hec Collegia Patrum,
 Doctrina fulgens, & pietate grauis.
 Verbi cum primum cœperunt mœnibus altis
 His spargi summi semina uera Dei.
 Vir fuit excellens, magna uirtute, fideq;
 Consilijs prudens, religionis amans.
 Magnificos terræ Dominos, clarumq; Senatum
 Adiuuit rebus, consilijsq; bonis.
 Pacis amans, iunxit discordum pectora, sape
 Edere ne strages dissociata uelint.
 Splenduit illustri uirtus herœica uultu,
 Facundo Pylium fluxit ab ore decus.
 Exuñas nunc busta tenent, sed uiuat in astris
 Aeternum felix spiritus ante Deum.
 „ Felix, qui fluidæ peragit sic tempora uitæ,
 „ Aeternum latus uiuat ut ante Deum.

EPITAPHIVM D. HERBOR-
 diab Holle, Abbatis eiusdem Monaste-
 rij, uiri præstantis, splendore familiç, do-
 ctrina, pietate, & uirtute uerè antiqua,
 & fide, Doctorum Ecclesiæ, &
 Scholæ nutritij & instaura-
 toris munifici: qui obiit
 Anno 1555.

Leniter Herbordi recubant hic, Lector, ab Holle
 Preclari, in cineres membra soluta, uiri.

Ah,

Ah, rapuēr virum nobis hunc fata uerendum

Aspera, qui fuerat spes q; salusq; pijs.

Natus erat ueteri clarus de stirpe parentū,

Sed meritis Abbas factus in Vrbē suis.

Claruit insigni præstans pietate, fideq;

Multis hic doctis commoda multa tulit.

Christiadum sanctos dilexit, iuuuit & auxit

Cœtus, & doctos pro pietate uiros.

Horas, quas rerum uariarum cura sinebat,

Quasq; alias potuit surripuisse sibi:

Consultit in libris uoluendis, sedulus omnes,

Doctorum castis, colloquijsq; pijs.

Castus degebat quoq; uitam sobrius omnem,

Talibus est similis uita colenda uiris.

Est igitur clarum decus, est nomenq; per orbem

Herbordi, & letus spiritus astra tenet.

Tu Pylios, clarus uiuas, Eberharde, per annos,

Princeps qui fulges, tantus in orbe, precor.

Quem Deus in summum meritis subuexit honore,

Qui decus es gentis, præsidiumq; tuae.

TEMPLVM MONASTE-

rij S. Michaelis.

Eximium est templum, spacio sum luce refulgens,

Altis suffultum pilis, clarumq; columnis.

Est ueterum fulgens monumentis, atq; sepulchris,

Clarorum terræ Dominorum, insignibus altis,

Atq; Chorum subter, Crypta testudinis arcu,

Crypta uetus, terra tumulis excisa cauernis.

Die
Blyfft.

D E

DE ORIGINE huius Templi.

Hoc templum referunt antiquum in monte fuisse
Structum, cum montem Ciues cœpere, facellum.

- Anno 2371. Armati ascendunt, muliebri ueste latentes,
Pridie purificacōnis Arcem concelebrent Bacchi, uelut orgia quidam
Marie. Dicturi Domino, laudesq; precesq; facello.
Tela gerunt, gladiosq; breues, sed ueste latentes,
Primus ait, choreæ simulatæ ductor, ad ipsum
Portæ custodem: uobis en gaude, Bacchi
Affrimus, leta hæc uobis sint ludicra nostra.
Ultimus ait dura correpta ex ueste bipenni,
Diffidit ex media custodi parte cerebrum.
Sternitur exanguis uelut hic robustus humi bos,
Moenia sic montis Ciues cœpere uetusta.
Ciubus, hei, quanti stetit hæc uictoria montis!
Quantæ sunt cædes comitatæ, uulnera quantæ?
Inclytus est ausus MAGNI cum scandere in Urbem
Miles, & incautis miserandam intendere mortem:
Hei Deus, à nobis tales post uertito cædes,
Inclyta cum Patribus sociata ò cordu benignè
Confirmat, ad laudem Gnati, nostramq; salutem.

TABELLA AVREA IN templo Monasterij S. Michaelis.

Hoc rutilat templo, fama celebrata per orbem.
Ungarico ex auro ueteri, conflata tabella.

Circiter

Circiter in longum ternas protendit ulnas.
 Ast patet in latum, si spectes, clara duabus.
 Aureus in medio fulget saluator Iesus,
 Claudit Apostolicus sacer hunc duodenus utring;
 Ordo, suum dominū spectans, ueneransq; benignū.
 Hanc radiant gemmæ circum fulgentq; tabellam,
 Quæ precio totam longè superare feruntur.
 Sapphirus rutilans, hyacinthus, tuq; smaragde,
 Atq; aliae multæ circum lateq; refulgent.
 Vasaq; sunt circum phialæ, sunt plurima in auro,
 Exornant omni totam quæ parte tabellam.
 Inclytus hanc sacræ BERNhardus contulit adi,
 Tertius à BILing HERmanno, Principe claro.
 Nostris qui primus BILing regnauit in oris,
 Factus hic à primo est Dux auctus Othonē secundo,
 Virtutum ex meritis magnaru, et bellico honore.

NOVA SCHOLA D. MICHAELIS, extorta Anno 1563.

Castalidum fulget sedes hic clara, iuuentus	
Noscere qua dicit Christum, moresq; pudicos,	
Artesq; ingenuas, est quarum maximus sus.	
Artibus ingenuis mitescum pectora dura,	22
Totius est hominum felix moderatio uitæ.	22
Artibus his floret quævis Respublica felix,	22
Artibus his melius cœlestia dogmata Christi	22
Instructus Doctor, trades, & false reselles.	22

Ergo Deus Dominus tenuem et sine pondere terrā,
Spirantesq; crocos, & in urna perpetuum uer,
Perpetua & donet coelestis gaudia uite:
Tam qui Castalidum sedem struxere nitentem,
Atq; alijs paſſim, uultu quicunq; benigno
Reſſpiciunt tristes, hac tempeſtate, Camoenas.
Rector erat primus ludi, Doctorq; iuuentæ
Bockius Ernestus, nunc eſt qui ſummuſ in æde
Barduici paſtor, docta pietate Magiſter,
Alter eſt Aonidum Rector nunc, Iuſte, iuuentæ,
Inſte, mihi iunctus caræ qui ſirpe parentis,
Eſ merito caruſ teneris, ut ſi mper, ab annis.

Obiit an-
no 1561.
24. Aug.
Obiit Li-
pſie, 21. Ja-
nuar. An-
no xxiatis
Euse 27. Tertiū hac Elebeck docuisti, docte Magiſter,

Inuida quem luſtu multorum fata tulerunt.

Tu quoq; Stangenſ docuisti, docte Georg;
Quem patriæ & nuper rapuerunt fata maligna.
Quām breuis hei miseriſ mortalibus auolat etas,
Et priuim pereunt, eſt quorum maximus uſus.

* » Utq; refert Graio doctus ſermone Menander,
» Hic moritur iuuenis, quem habuerūt numina carū.
» ὅποι θεοὶ Θλάσση, καὶ οὐδὲν ἡσκει νέος.
» Dilectus dijs, in iuuentute moritur.

CONFLAGRATA COQVI

na huius monasterij, Anno 1563.

7. Septemb. hora noctis 3.

Septima cum Mensis rediens aurora Nouembris,
Affulſit bigis nuncia Phœbe tuis,

Angelici

52

Angelici exarsit templi sub nocte coquina,
Flamma metum cunctis incutit illa nouum.
Nam simili fato cecidisti nuper in ignes,
Springudij antiquum, turris in urbe, decus.
Omnibus hic nobis Domini bonitatis & ire
Exemplum magnæ, casus uterq; fuit.
Est ire certum metuenda exustio signum,
Mores quam nostri commeruere mali.
Est bonitas ingens Domini, est clementia magna,
Quod non facti omnes una fauilla sumus.
Tu pater, à nobis posthac auertito tales
Ignes, per Gnatii nomen, & omne malum.
Ut tua discamus securè oracula in Urbe,
Dicentes laudis carmina gratia tibi.

TEMPLA SEX.

Templa Dei ad cultum ueri sunt sene per urbem,
Claret iō annis quorum, sancti q; Michaēl,
Hoc Zephyros spectat, illud se uertit ad Ortum,
Austros Lamberti tepidos, & pneumatis almi;
Niclai & Mariae Septem subiecta Trioni.

MINISTRI ET DOCTO- res Ecclesiæ tredecim.

His pia nunc trādunt sincerè dogmata Christi,
Doctrina insignes, pietate, & pacis amantes.

S. IOANNIS.

Vocatus Clarus Iohannes Ekebergius arte Magister,
 Anno hoc Summa nunc residet uenerandus Episcopus æde-
 currente 1564. Quæ precor, ut seruus Doctorem Christi benigno-
 tend. Feb. Nominis ad laudem Patrisq; tuumq; per Urbem.

Plurima grata tibi faciat, doceatq; fidclis.
 Vuilhemius iunctus simul, hac Santphordius in æde,
 Doctrina, senio, docet & pietate colendus.
 Tertius Henninges Hieronyme, docte Magister,
 Hic tradit Christum, proles dignissima Patris.

S. MICHAELIS.

Aede Simo Angelica Brunonis & ipse Magister
 Doctus, & HERmannus Vuasman, pia dogmata
 tradunt.

S. LAMBERTI.

Doctus Obermannus Christū docet æde Magister
 Lamberti, atq; Faber Niclaus uoce disertus,
 Atq; pio iunctus zelo Cornerus Iasspar.

S. NICOLAI.

Herberdinck docta præstans pietate Gerardus,
 Aede docet sacra Niclao, tuq; Rodolphe,
 Tuq; doces Bredekou Dionysi, carus in Urbe
 Cunctis, à teneris nobis quoq; carus ab annis.

SANCTI SPIRITVS.

Pneumatis in sancti Caspar docet æde Magister,
 Edelman, & docta Bartram, pietate colendus,

Vos

Vos, rogo, conseruet cunctos in dogmate Christus,
Syncero, unanimis, & sanctæ pacis amantes,
Moribus & sitis Christi exemplaria gregis.

PASTORES ET MINISTRI

Ecclesiae defuncti ab anno 30. quo
primum hic instaurata est
Ecclesia, 14.

Hos præter multi docuerunt Vrbe uerendi
Hac, pietate uiri, diuina oracula Christi.

IN TEMPLO D. Ioannis.

Clarus Iohannis meritis Harduinus in æde,
Doctrina excellens Eheberch, cunctisq; benignus, Obiit An.
Annis hac docuit triginta oracula Christi. no 59. 13.
Janua.

Cuius nunc Gnatius patria sic claret in Vrbe,
Hac tenuit partes summi & Doctoris in æde,
Radbrock Hinricus, magna pietate uerendus.

Rhegius Vrbanus, Cellam cum ceſſit ad Vrbem,
Rhodius est summus Doctor, dum ritè uocatus,
Hac etiam Hinricus præstans Otthonis in æde,
Vir docuit quondam, magna pietate colendus.

IN TEMPLO S. Michaelis.

Tradidit Andreas, patro non nomine notus
Nobis, Angelico primus dia dogmata templo,

Sicuttenus sequitur Lodouicus, in æde secundus,
Tertius hinc Holting Hermannus cessit ad astras.

IN AEDE DIVI Lamperti.

Lamperti Caspar doctus Romshagus in æde,
Et pius Hinricus, zelo Glosocampius ardens.
Clarus Ioannes sequitur Frigerius illos,
Eloquio præstans, docta ex pietate uerendus.
Quæsequeris Thurou, reuerendus in æde Magister,
Hac etiam Gallus docuit Pontanus eadem,
Inuida præstantem nimium hunc citò fatigulere.

IN AEDE DIVI Nicolai.

Andreas horti dictus de nomine solis,
Doctrina clarus, præstans ratione docendi.
Ac Vuipermannus Niclai Antonius æde,
Vir zelo flagrans, uerae ex pietatis amore,
Tuq; Eyeberge ualens, docta pietate Gerarde.

VALLIS SACRA Heilgenthal.

Vallis erat Monachis ædes ex septima sacra,
Mercibus atq; ululis dat nunc habitacula fœlis.

DE CONSERVATA PER
 Dei clementiam, puritate doctrinæ Eu-
 angelij, de persona Christi, beneficijs
 eius, eorumq; per fidem applicatio-
 ne: & de integro Sacramento*
 rum fide, & usu legitimo, in
 Ecclesia Lunæburgensi.

Dogmatibus falsis misere est Ecclesia Christi
 Hei, Satanæ technis pâssim disiecta per orbem.
 Diuidit hic Christi naturas, miscet easdem hic. 1
 Denegat hic, noster quod sit per utrâq; redemptor, 2
 Hic negat in cœna corpus sanguenq; sacratum, 3
 Iustitiae hic Christi mortem negat esse uigorem, 4
 Denegat hic sacram pueris infantibus undam, 5
 Hic tribuit meritis fontem causamq; salutis, 6
 Sunt opera hic iustis, affirms libera sancta. 7
 Hic opera affirms male sanus sancta saluti. 8
 Noxia, qua mundo magis est non concio grata.
 Hic negat externum diuini dogmatis usum. 9
 Pneumaticus flatus spectans furiosus ab alto.
 Inlyta non Phœbes his est Ecclesia Christi,
 Dogmatibus etris diuino infecta fauore,
 Est inter quoniam Doctores, estq; Senatum,
 Et iues, dulcis pax & concordia felix.

ORGANVM IN TEMPLO

D. Ioannis, Anno 1553.

Anni ubi mille fluunt quingenti, lustra decemq;
 Tertius ex summo Phœbus ab axe redit:

Ingenio artificis Bataue sic stirpis in æde

Dulcisonæ, hoc clarum constitit artis opus,
Quæ nouate primum, Nederstet, docte Michael,

Organa senserunt, ludere dulce melos.

Funckius hinc alter, clarus Phœbea gubernans

Organa, diuinum ludit & ipse melos.

„ Sint procul hinc turpes, resonant quæ carmina, &

„ Audiathic castus, nil nisi casta, Deus. (mores.

CVRIA. DOMVS PRINCI- pis, & aliae insigniores.

Curia clarorum Patrum, sanctiꝝ Senatus,

Curarumq; domus, quæ non tibi, Curia Tulli.

Cessura est fulgenti opere, intus & extra

Turribus exurgens altis ex ordine senis,

Inclyta spectatur contra domus, altaq; longè

Principis, ostentans Regum monumenta uetus, &

Otthorum statuas, simulachra, atq; ordine claro

Stemmate Cæsareo, quondam quisceptra tenebant

Imperijs, clara quorum de stirpe uetus,

Principis est terræ Phœbes domus orti benigni,

Spectantur totam multa & monumenta per urbem,

Atq; domus clare, melius quas cernere præsens

Quisq; potes, tenui quam nos recitare Thalia.

Has inter ueteres claret Garlopica cunctas,

Atq; tua à Dassel, domus inclyta, clare Ludolphe,

Tertia doctilo quis fulget Stoterogia gnomis,

Aedes

Aedes sunt clarae, Dominorum nomine dictæ,
 Harum qui primi struxerunt culmina celsa,
 Rexerunt quondam magnis qui s̄epe periclis,
 Auspicijs nostrām, Patres, felicibus Urbem.
 Ergo dolent Ciues, Matres, doluere Patresq;,
 Hos ubi fata uiros rapuerunt ultima claros.

EPI TAPHIVM D. LVDOL-
phi à Dassel, Consulis Lunæburgensis,
præstati sapientia, uirtute, pietate, & hu-
manitate, longeq; optimè meriti de hac
inclita Vrbe: qui obiit Anno 1537.

feria 4. post assumptionem

Mariæ Virginis.

Vrbs iacet Arctoas: inter clarissima septem
 Vandalicas, Lunæ nomine dicta uagæ.

Hanc Deus ornauit præclaris dotibus Urbem,
 Atq; sua forti protegit ipse manu,

Hostilis posuit nihil ut conatus in illam:

Tutus agit, fortis quem tegit ipse Deus.

Divitiæ Domini donum sunt, mœnia, fossæ,

Sunt pietas populi, consiliumq; bonum.

His urbes florent claræ, sunt regna, beata,

His cætus cuncti, sunt q; uigent q; piæ.

Huic igitur populum, pacem, clarumq; Senatum,

Vrbi donauit, pro bonitate, pius.

Hos inter multos consul fuit ipse Ludolphus.

A Dassel, Patriæ gloria, spesq; suæ.

Stemmate de claro genere est Dassela uetus,
 Finibus in latis Embeca clara, tuis.
 Clarus erat ciuis, præstans fuit atq; Senator,
 Consulis officium præstitit usq; boni.
 Indigens consilijs quoties fuit inclita nostra
 Vrbs, bonus hic Consul, Cynthius alter erat.
 Vir fuit egregie comis, facilisq; benignus,
 Alloquijs promptus, pauperibusq; bonus.
 Aonidum fuit cultores, atq; Camoenis
 Tristibus o quantus portus & aura fuit?
 Omnibus hic charus pueris, senibusq; uerendus.
 Hæc sunt in magnis munera grata uiris.
 Sunt propria hæc gentis Dassela munera claræ.
 Ingenium, bonitas, Aonidumq; fauor.
 Cernitur in natis uirtus, bonitasq; parentum,
 Fortes sic ueniunt fortibus atq; bonis.
 Talis agit proles, Franciscus, clara Ludolfi,
 Consul nunc præstans, charus in Vrbe bonis.
 Quæ, precor, ut seruas Patriæ, bone Christe, ualcta
 Annos in Pylios uiuere fata finant.
 Atq; alios ueteri natos de stirpe nepotes,
 Ad laudem Patriæ, præsidiumq; suæ.
 Hos ita decumbens pater est hortatus, auitas
 In laudes gentis, perpetuumq; decus:
 Clara mihi soboles, gemitus hos excipe nostros.
 Ultima dilecti percipe uerba patris.
 Nunc mihi, nunc uitæ uenit pars ultima fluxæ,
 Meq; uocat clemens ad sua regna Deus.

- Viuite concordes, patrias assuescite in artes, 22
 Sit timor ante oculos semper amorq; Dei. 22
 Maiorum precio leges, & sanguine partas, 22
 Atq; Patrum fortii iussa tenete manu. 22
 Sit uobis Christi pre cunctis gloria curæ, 22
 Sint inopes cure, Pieridumq; chori. 22
 Sic erit euenuus felix, quæcunq; geretis, 22
 In uita pietas prospera quæq; facit. 22
 Sic ait, & clausis placide requieuit ocellis,
 In Christo expirans cœlica regna petit.

EPI TAPHI V M D. HE N R I C I
Garlopij Consulis inclytæ Reipublicæ
Lunæburgenſis, uiri autoritate, gratia,
& opibus clarissimi & amplissimi:
qui obiit Anno Christi 1553.
die nativitatis Mariæ.

Garlopius patria uixi dilectus in Urbe,
 Hinricus, ueteri nobilitate satus.
 Hoc mea gentili requiescunt membra facello,
 Additus antiquis Patribus ipse meis.
 Pro meritis Patriæ dilectus, consul adauxi
 Publica consilijs commoda ſepe meis.
 Dilexi Patriam, maiorum exempla fecutus,
 Patria qui proprijs ante tulere bona.
 Garlopius cecidit Consul sic fortiter olim,
 Hostis cum muros nocte silent et tenet.

Anno
1553

Vestit-

Vestigijs ueterum, precor, ut gens inclyta semper
 Insistat, Patriæ commoda magna ferens.
 Dum reddit è cœlis, mea spes ex gloria, Christus,
 Ex cuius hic recubant, spiritus astra colit.

EPITAPHIVM D. NICOLAI
 Stoteroggi Consulis Lunæburgensis.
 uiri præstantis sapientia, doctrina, legum
 cognitione, uirtute & pietate cla-
 riſſimi: qui obiit Anno Chri-
 sti 1560. pridie Calend.

Ianuarij.

Hac recubæ gelida Niclaus consul in urna,
 Stotrogus, Patriæ spesq; salusq; meæ.
 Natus ab Harduico præclaro consule, consul
 Consilijs Patriæ fidus, ut ipse, fui.
 Publica præposui proprijs ego commoda semper,
 Eloquio clarus, consilijsq; uigens.
 Ereptus Patriæ sum consul, ubi indigit orba,
 Auxilio in primis, consilijsq; bonis.
 Nunc te, Christe, precor, Patriam, serosq; nepotes.
 Conseruos, solita pro bonitate, meos.
 Utq; tuæ celebrent meritæ præconia laudis,
 Et faciant omnes plurima grata tibi.
 Sum quia complexus cœlestia dogmata Christi,
 Pauperibusq; pijs commoda multa tuli.
 Ossa souet tumulus somno data, spiritus ipse
 Cum Christo cœli gaudia lata capit.

ALIO-

ALIORVM QVATVOR CON-
 sulum, sapientia, uirtute, pietate, &
 meritis erga Vrbem clarissi-
 morum, epitaphia.

Hos præter nostram, clari uirtutibus, Vrbem
 Consilijs quondam rexerunt ordine Patrum,
 Quatuor: ex meritis elegos hos nostra canebat
 Musa uiris, clarum referunt qui nomen in æuum.
 Quem referunt Musæ, uiuet dum gramina tellus,
 Dum cœlum stellas uehat, et dum flumina pontus.

EPITAPHIVM D. THEODO-
 ri Elueri Consulis Lunæburgensis, sin-
 gularis sapientia, uirtute, pietate, autori-
 tate, gratia, et eloquentia ornatissi-
 mi: qui obiit Anno Christi

1530.

Eluerus iacet hac Theodorus leniter urna,
 Clarus qui patria Consul in Urbe fuit.
 Claruit in uultu decus admirabile toto,
 Eximie & mentis gloria magna fuit.
 Crederet antiquis, spectans, heroibus unum,
 Viribus Alcidem, Nestora consilijs.
 Sed auit populum crebro, grauitate uerendus,
 In dubijs Patres consilijsq; iuuans:
 Tēpore quo Christi renouatur dogma per Urbe,
 Et populus feruet religione noua.
 Eloquio,

Eloquio, meritis, magna & uirtute regebat,
 Ne patres contra quid statuisse uelit.
 Ergo fuit Pylis uir tantus uiuere dignus
 Annis, & patriæ consuluisse diu.
 » Ab hominum nulli dure in clementia mortis
 » Parcit, & in primis optima quæq; rapit.
 Hunc etiam patriæ medijs heroa sub annis
 E uiuis tantum fata tulere uirum.
 Corporis exuiae recubant hac suauiter urnas,
 Spiritus in cœlis gaudia leta capit.

EPITAPHIVM D. HARDVIL
 Stoteroggij, Consulis Lunæburgen-
 sis, uiri singulari sapientia, morum gra-
 uitate, uirtute, & pietate clarissimi:
 qui obiit An. Christi 1539. cùm
 annos quadraginta Con-
 sulem egisset.

Harduicus nostra quandam Stoteroggius ingenio
 Gloria, præclarus Consul in Vrbe fuit.
 Magna fuit uirtus, pietas, sapientia magna;
 Pro meritis charus Ciubus usq; suis.
 Extremos uixit reuerendus Consul in annos,
 Eloquio patriam, consilijsq; regens.
 Tempora cum mortis ueniunt, extremaq; fati,
 Leniter expirans, cœlica regna petit.
 Consulis eximij munus gerit octo per Vrbem
 Lustra, piu[m] rapiunt cum nigra fata uirum:

- Est Dominō coram momenti nullius æuum, " "
 Vix est, quod totum uiuitur, una dies. " "
 Sunt hominum uanae spes omnes, uota, labores, " "
 Est status hic fallax, est nihil omnishomo. " "
 Quicquid agit, uanu est, uelut umbra perambulat, " "
 Moribus insanis quod facit, omne perit. (errat) " "
 Sola manet pietas, uirtus, sapientia sola, " "
 Cætera sunt nūgæ, somnia uana, nihil. " "

EPITAPHIVM D. HARDVINI
 Schomaker iunioris Consulis clarissimi, qui immatura morte præreptus est
 huic inclytæ Vrbi, cum omnium Patrum, Patriciorum, & Ciuium
 dolore acerbo, Anno 50.

L V N A E B V R G A A D
 Viatorem.

Quod spæctas mœstam lugubri ueste, uiator,
 Quodq; genis lachrymas, debita causa subest.
 Heu cecidit Consul, mea spes, Harduicus in annis
 Schomaker medijs, gloria magna Patrum.
 Hic fuit eloquio clarus, pietate colendus,
 Consilijs fidus, consilijsq; bonus.
 Quem si fata uirum uoluissent uiere, magnum
 Iam mihi præsidium, gloria magna foret.
 Tempore quo ueteri pro libertate tuenda,
 Viribus indigeo consilijsq; bonis.

Nam

Nam petor à multis, uelut exornata puella,
Hostibus, heu nulli perniciosa uiro.

Ast supero in cunctis, diuino numine, uictrix:
Qui domino fudit, non perisse potest.

Vir fuit hic magna pictate, fideq; piorum
Solamen, magnum præsidiumq; scholæ.

Te, precor, ut similes des nobis, Christe, regentes.
Qui tua, qui sancte dogmata sancta colant.

Turcege consilijs natos, nostrosq; nepotes,
Ut faciant cuncti plurima grata tibi.

„ Te sine consilium, non uis ualet ulla potentum:

„ Quem tua tutatur dextera, tutus erit.

Lector, habes nostri quæ sit nam causa doloris.
Luctibus est nostris debitus ille color.

Ossa uiri tumulo requiescunt, lætus in astris,
Cœlicolas inter, spiritus alta tenet.

EPITAPHIVM D. HARDVI-
ci Schomaker, senioris, Consulis pru-
dentissimi, & optimi huius inclytæ
ciuitatis, uiri antiqua uirtute,
& fide: qui obiit Anno
Christi 1555.

Hac senior Consul præstans Harduicus in urna,
Schomaker posuit leniter ossa pius.

Vir fuit antiqua, sapiens, uirtute fideq;

Quales non multos tempora nostra ferunt.

Vltimus

Vltimus hic uidit ueteres de gente nepotes,

Illustres bello, consilijsq; bonos.

Qualis erat Consul, præstans Iacobus in armis,

Ausus cum magnis bella mouere uiris.

CONSULES V N D E C I M,

qui intra annos triginta, ex hæc inclyta

Vrbe, in cœlestem patriam euoca-

tisunt, quorum Epitaphia suo

loco libello inserta sunt.

Consilio undeni Patres uiguerè per Vrbem,

Aetherei ad sedem, qui iam cessere parentis.

Euerus præstans Consul Theodorus in Vrbe,

Obiit an.
no 30.

A Dassel, sequeris quem tu præclare Ludolphe. 37

Quos pius Harduicus Stoterog, senioq; uerendus, 39

Tuq; Tobing, cunctis sequeris Leonarde benigne, 39

Tuq; Tobing, præstans meritis, præclare Georgi, 49

Harduicus meritis Schomaker, charus ubiq;, 50

Dinitius amplius post hos Garlopius almis. 53

Hinc senio Harduicus Schomaker in urbe ueredus, 55

Consilijs hinc Vuitzendorff Hieronymus, Vrbis 56

Eximius consul, fatis discessit ad astra,

Hic quoq; Niclaus fatis discessit iisdem, 60

Vltimus hinc Tobing, præstans uirtute Georgi. 61

SENATORES VI-

ginti tres.

His enio Patres uenerandi in Vrbe fuerunt,

- Præstantes meritis, hæc quorum nomina clarent:
- 36 Dusterhoff primus gente est Theodorus auita,
 36 Visculus præstans Harduicus in Vrbe secundus,
 36 Brømius & claro Theodorus stemmate natus,
 37 Reinstorff hinc meritis sequeris, præclare Ludol-
 38 Hinc ceſſit fatis præstans Schomaker Iacob. (phe,
 40 Post Stoterog meritis præclarus in Vrbe Ludol-
 40 Hinc ueteri Brādan Lerstedt, uirtute fideq;, (phus,
 40 Clarus, Ioannes Brandes hinc ceſſit ad astra,
 40 Vuitichus Hinricus sequitur uenerandus eodem,
 40 Clarus & Hinricus petijt Gronhagus astra.
 41 Eloquio præstans, Luca hinc Mollere, Senator,
 41 Hinc senio Caspar Kroger uenerandus eodem.
 43 Clarus Ioannes Hoker disceſſit ab Vrbe,
 46 Aethereas Caspar Kroger comitatur ad arces,
 48 Quē Bredekoſsequeris, cūctis adamatus in Vrbe.
 54 Franciscus ceſſit Semelbecker ab Vrbe Senator,
 59 Ceſſisti & Glode meritis præclare Georgi.
 59 Martius hinc ceſſit Praueſt Theodorus Olympū.
 60 Quem Semelbecker sequeris præclare Ludolphe,
 60 Meinhardus sequitur longo nunc ordine Tobinck
 60 Karſtius & ceſſit docta pietate Magister,
 63 Ceſſit & Albertus præstans Eluerus ad astra.
 63 Ultimus Helmoldaus, claro de Lampade dictus,
 Aetherei ſedes petijt, uenerandus, Olympi.
 Tendimus huc omnes, metam properamus ad unā,
 Felix qui fluidæ ducit ſic tempora uitæ,
 Sedibus aetherei felix ut uiuat Olympi.

Tepre-

Teprecoꝝ ut serues Pylios, bone Christe, per an-
Incolumes Vrbis Phœbes qui mœnia claræ (nos,
Consilijs rectis, nunc & pietate gubernant.

Aetherei & dones defunctis gaudia cœli,
Atq; tibi sanctum serues, pater optime, semin,
Quod tibi pro meritis dicat præconi i laudis,
Quod tua cura sumus, Grati quod nomine chari,
Gaudia das uitæ, nunquam peritura, beatæ.

MONS CALCARIVS.

Der Balckberg.

Est mons occiduas suspectu uastus ad undas,
Antiquo spissæ calcis de nomine dictus,
Vrbi uicinus subiectæ, uertice latus,
Castello firmus ueteri, molimine præceps,
Acclivis, scopulisq; minax pendentibus altis,
Vndiq; præruptis saxis defensus ab hostis
Accensu, uallis, foſſis circundatus altis,
Quà madidos ſpectat Zephyros auersus ab Vrbe,
Hunc ſeruant montem uigiles, noctesq; diesq;
Ingentes, Britonum mittit quos terra, Molossi,
Sæua canū mordaxq; cohors, quos ſcandere propter
Non audet quisquam, aut ſuperare cacumina montis.
Mons hic eſt firmum calcis munimen ad Vrbem,
Aedibus & muris ex hoc cæmenta coquuntur.
Proxiimus hunc calcis montem conſcendit in Vrbē
Hostis per murum quondam, ſ. b nocte ſilentī.

Admo
289.1.

Fama refert, pactos tetro hac cum dæmonे lege,
 Per muros saluos si se transuerterit altos,
 Ultimus euadat muros, qui tardus in Vrbem,
 Illius proprium fore mancipiumq; dicatum.
 Pro se quisq; citi tendunt euadere muros,
 Ne fiat, scandens, postremus, mœnia clara.
 Scandentes gestant clypeos et tula sinistris,
 Murorum celeres prensant fastigia dextris.
 Ultimus est hærens muris, scandensq; per alta,
 Pone trahit scalis luctantem fune catellum,
 Hic clamat, Dæmon, postremus mœnia scandit,
 Est canis, ex pacto, Dæmon, tibi debita præda.
 In sequitur Dæmon uoce hac elusus euntis,
 Me duce per muros claram euasistis in Vrbem,
 Tu quibus inde modis redeas, socij q; uidete.

FONS SALINAE ueteris.

Est Vrbis Phœbes celebris fons, altera clara
 Gloria, qui diues scaturit salis usq; fluentia,
 Ad calcis montem primum salsuginis unda
 Prodijt, indicio porcorum gregis in æstu,
 Albula cui setis salis hærent crustula duris,
 Gramina depascunt ubi, se cœnoq; uolunt,
 Quæ salis antiquum retinente sibi pascua nomen.
 Auxit Iohannes, Otthonis filius, almum
 1269. Fontem, qui Phœbes celebris tam claret in Vrbe.
 Nunc

Nunc Vrbis factus precio, donisq; benignis.
 Fons est ueteribus tabulis suffultus ab imo,
 Et tabulis tectus, nisi qua subductus in altum,
 Nocte dieq; latex pendente adducitur urna,
 Urna est, quæ ueteri sursum suspensa columna,
 Robore de duro, centum non mota per annos.
 Cui uelut Acthnæus Polypheus, longus & ater,
 Insidet, ingentem uectusq; subtrahit urnam,
 Quam leuat è puto descendens alter in altum.
 In domino, clamans, urnam nunc tollite fratres.
 Namq; astant alij fratres, socij q; laboris,
 Corporibus uasti, semper fuligine nigri,
 Qui simul adiutant iuxta salsuginis undam,
 Quæ sua citiq; cauis excepta canalibus unda,
 His diuisa fluens fumosas currit in aedes,
 Quæ numero sunt quinquaginta, quatuor atq;
 Aedibus his cacabi, positi sunt ritè quaterni,
 Queis coquitur latis cacabis salsuginis unda,
 Ex plumbo fusis, qui non tamen igne liquecunt,
 Est cacabus pondo centum bis quilibet, atq;
 Quatuor & quinquaginta, noctemq; diemq;
 Vnum perdurans, post massa refingitur illa.
 Est Domini mirum celebri fons munus in Vrbe,
 Hoc alitur diues fonte, hoc Vrbs inclita floret,
 Hoc alitur templi mystes scaturigine fontis,
 Prælatusq; alitur, multa & Collegias sacra,
 Hoc alitur fullo, pistor, faber, artificesq;
 Textores, lanij, sutores, atq; propoleæ.

Fons alit hic omnes, intra qui uiuimus Urbem.
 Nam ueluti cunctos almenta accepta per artus
 Distribuit stomachus, gratoq; liquore rcfectos
 Exhilarat, reparatq; nouas in corpore uires,
 Exhaustos duris redditq; laboribus aptos :
 Sic iacet hic celebri clarus fons altor in Urbe,
 Distribuens cunctos, certa ratione benignè,
 Grata, inter Ciues, Patresq; alimenta, uerendos.
 Ergo agite altorem uestrum hunc defendite Ciues,
 Et quibus est fontis dominis data iusta potestas,
 Quilibet hos nostrum digno ueneremur honore,
 Sint illis fontis Domini, maneamq; fideles
 Custodes, riuos grati nos inde bibamus,
 Laudantes Dominum, tanto pro munere, fontis.

FONS SALINAE NOVAE.

Tempore post multò salis est inuenitus in Urbe
 Fons nouus, ætherei diuino munere patris:
 Non tamen hic scaturit, uetus ut fons diuite uena,
 Mittitur ad ueterem cuius salsuginis unda,
 Per terræ cryptam longam, cœcosq; meatus,
 Longè procurrens excepta canalibus imis.

DE CVPA SALINARIA.

Est celebris raptus Cupæ solennis in Urbe,
 Tempore, quo Graij celebrabant orgia Bacchi,
 Cupa fit hæc dulcis, dolia ut sunt maxima uini,

Atq;

Atq; grauis lapidum multorum pondere cupæ
 Tardatur moles, totam raptanda per Vrbem.
 Tempus ubi uenit celebris certaminis Vrbi,
 Funibus oblongis bigæ iunguntur equorum.
 Cupæ, quam raptent, clara comitante caterua,
 Vrbem per totam, clari qui iusta salinæ
 Rite petunt, Patrum clarorum iure uetusto.
 Iunctæ ubi sunt bigæ, funis cupæq; ligatus
 Temo teres uersus, firmis uncisq; repostus,
 Dat tuba clara sonū, mora nulla, ferunt ut Eurus,
 Euolat emissus, celeres per strata uiarum
 Corripiunt, celeresq; ruunt, ceu carcere fusi
 Præcipites, bijugo celeres certamine leti,
 Non sic immissis aurigæ undancia lora
 Concußere iugis, proniq; im uerbera pendent.
 Patria hos sequitur, præcedit et inclytaturba,
 Vestibus effulgens, sertis, plumisq; decora.
 Ante equitant bini celeres, quos rite sequuntur,
 Atq; equitat tubicen longè, qui cantat in Vrbe:
 Sint plateæ puræ, nihil hic properantibus obstat.
 Est ubi per plateas Vrbis transueta patentes
 Capa, pyra iniicitur, iactis lignisq; crematur,
 Quam choreas circum celebrant de more decetes,
 Ludicra non prorsus sunt hæc certamina Bacchi,
 Virtutis specimen præbent hæc ludicra Martis,
 Non Collega potest, claræ dominusq; salinæ
 Esse, nisi cupam poterit raptasse per Vrbem,
 Armipotens hastam bellè, et uictare uirilcm.

COETVS PVERILES CA- nentes per Vrbem hoc die.

Thyrsigeri.

- Læta dies pueris hic est de more uctus, (bet,
 Buxi qui folijs intexunt mollibus hastas,
 Ante domos claras Dominorum dona petentes,
 " Larga fuit ueterum pietas, amor atq; iuuentæ,
 " Artes quæ discit rectas, et noscere Christum.
 Talis erat quodam Dominus, quæ strata per urbem
 Thyrsigeri Hinricū celebrant nunc carmine largū.
 " Conferat his assēm uix nunc è nullibus unus.

PHARMACOPOLION.

- Omnigena ægrotis domus est, quæ pharmaca præ-
 Herbæ quas mittit medicas huc Indus et Aphrodite,
 Aesculapius nouit præstans, quas atq; Machaon.
 Pellicius præstans medicorum gloria Iustus,
 Est medicus Phœbes clarus nunc publicus, Urbis,
 " Diuitibus precio, gratis medicatur egenis.
 Præparat eximius Theodorus, pharmaca, Petri,
 Pharmaca das præstans quoq; tu Cistere per urbem,
 Cuius et est nobis perspecta ars sape fidelis.

DOMVS TELONARIA Principis.

- Principis et clari domus hic est dicta Telones,
 Debita mercator qua uectigalia soluit,
Debita,

Debita, quod merces tutò transuexit ad Vrbem,
Fidus Iōannes Lutterlo præsidet illis,
Vir pius, humanus, facilis, cunctisq; benignus.

OENOPOLION

Subter Curiam.

Inclita habet cellam sc subter Curia Phœbes,
Massica multigeni uendit que pocula umi,
Itala quod mittit præstans huc terra, quod Ister,
Creta quod eximium mittit, Rhenusq; bicornis,

TABERNÆ SEV DOMVS tres cereuisiæ Hammoniacæ.

Sunt quibus Hammonis miscentur pocula Iacchi
Grata, domus ternæ, quarum que maxima fulgens
Iuncta foro claret, iaculatum nomine dicta,
Hac sibi festa domo Ciues Hammonica ducunt,
Hammonis leti siccantes pocula grati.

Proxima de fouea nomen sortita latronum,
Hac quia latrones fortè olim egere spelunca,
Nūc domus Hāmonis facta est hec grata tabernaz
Latrones querunt sylvas, latebrasq; feroceas.
Corniger in sylvis Hammon quoq; letus agebat,
Quæ domus Hāmonis facta est noua nuper in urbe
Clara, noui est nomen sortita à nomine damni,
Damnu quod faciūt multi hac sibi gutture anhelos,
Quotidiè Hammonis siccantes pocula Bacchi,

Hæc domus in platea claret, quæ nomen harenæ
Lata habet, Hammonis domus est nunc grata beni-
Est Libycis Hammon fuluis letatus harenis. (gnt.)

REMEDIA CONTRA HAM- monem horridum & insipidum.

Horridus est Hammō, bona nux Myrristica, numē,
Zingiber, & dulcis, reddet tibi mite, placenta.
Rancidus est Hammon quod si mucore uetusto,
Fœtidus, atq; sapit neglecti uasis amurcam,
Ad patrias sœum transmittito numen harenas.
Si negat ad lares Hammon remeare, benignè
Luminibus clausis, fortes haurito cululos,
Sic minus Hammonis gustabis pocula duri.
Si dilutus aqua est Hammon, tenuisq; palato,
Non feret is planctum uentri, captiuæ dolorem.
Hammon sit tenuis spuma, sit clarus in imo,
Lacteus in summo, dulcis sapidusq; palato.
Hammon cum dulci talis certaret Iaccho.

XENODOCHIA SEV Nosocomia duo.

1. Ad S. Spiritum.

2. Der Grall.

Xenodochea duo ueterum sunt structa, piorum
Sumptibus, infirmis quæ dant alimenta, & egenis.
Flaminis est sancti primum de nomine dictum,
Pauperibus Cosman pius hic alimenta ministrat.
Alterius gratum est antiquum Gralia nomen,

Radius

Rudius hanc curat magna pietate benignè,
Vtilis in multis Vrbi, multisq; fidelis.
Magna fuit ueterum pietas, qui talia quondam
Pauperibus struxere pijs habitacula, multas
Donarunt & opes, fidei documenta benignæ.
Nunc quotus est casulam struat, aut qui conserat,
assem?

TVRRIS D. IOANNIS SPRIN-
gintguth, Consulis Lunæburgensis, ac-
censa à fulmine, & cōflagrata, Anno 1562.
4. Decem. hora noctis prima, quæ condi-
ta fuit ante annos circiter centū & octo,
à dicto consule optimè merito de incly-
ta Lunæburga, in qua postea mortuus
est, coniectus in eam, iniustè damnatus
fulmine excommunicationis Roma-
ni Pontificis, sed honorificè po-
stea sepultus est à Ciuiibus,
in æde D. Ioannis, An-
no 1455.

Anni ubi mille fluunt, quingenti, sex deciesq;
Atq; duo à Siloh genito de uirgine casta,
Springudij turris clari de nomine dicta,
Concidit in cineres, horrendi fulminus iclu,
Cum quater Oceano surgit sol nocte Decembri,
Horramq; è templis sonuerunt æra secundam,
Horrisonos inter uentos, miserabile uisu,

An. Christi
1562.

Vt flamus

Ut flamas A quilo rutilantes iactat in auras,
 Atq; globi uolit ant, ignis sparsusq; per Vrbem,
 Hc trepidis quantum flammæ incusere timorem?
 Pulueris hunc nitrati auxit uis magna uetusti,
 Proxima quæ fuerat tinnis hic condita multis.
 Hæc steterat centum turris tum celsa per annos,
 Atq; octo, ut referunt, clarus quam condidit altam
 Springudius, decus & munimen in Vrbe,
 Præsulis hic consul Latij suppressus iniquo
 Iudicio, hac perijt turri, quam struxerat ipse,
 Pro meritis cuius nomen nunc claret in Vrbe,
 De coelo tacta hæc fuerat bis turris & antè,
 Ultima sed tantæ molis nunc fata fuere.
 Inlyta nunc cineres cecidisse omnis in atros,
 Lunæburga, Deus nisi te seruasset ab alto.
 Dicimus ergo tibi meritas, Pater optime, grates,
 In cunctis seruat tua quod nos dextra periclis.

PRECATIO IN TANTO VRBIS PERICULO.

Hos pater horrendos ignes extingue, nec iræ
 Accende immensæ fulmina tota tuæ.
 Gnate Dei, insertos tibi clemens protege coetus,
 Ignibus his sœuis ne perijsse uelis.
 Spiritus alme Deus, sœuas has supprime flamas,
 Inlyta ne fiant mortua tota cimis.

DE

DE REAEDIFICATA TVRRI

Springintguth, Anno 1564.

Mille ubi sexagena fluunt, & quatuor annis
 Virginis à partu castæ, quoq; secula quina,
 Springudij turris noua cœpit surgere in altum,
 Ad ueteris formam constructa per omnia claræ,
 Inlytus hunc terræ Princeps mittebat ad usum,
 Robora, pro summa bonitate, ingentia multa.
 Cötulit et præstans Eberhardus plurima ab Holle,
 Ad decus hoc clarum, uetus & munimen in Vrbē.

STATIO NAVALIS, DO-

mus mercatoria, & Geranion.

Der Brähn.

Est statio, atq; domus, mercatus nomine dicta,
 Flumine quo merces, & ligna uehuntur ad Vrbē,
 Vrbs ubi decliviis glaciales excipit Arctos,
 Machina suspensa est de nomine dicta gruis, Grus,
 Strymonia formā grui hæc quod præferat ingēs.
 Est rota, quæ præceps intus calcata per orbem,
 Nauibus ē longis merces subuectat in altum.

TVRRES AQVARIAE

duæ. Die new WasserKunst.

Arte noua binæ turres ad fluminis oras
 Sunt structæ, celebresq; nouæ artis nomine dictæ.
 Hic rota ducit aquam sursum ingens turris in altū,
 Inde

Inde cauis rursus delapsa canalibus Urbem,
Transcutrit subter terram, per strata uiarum.
Excipit hunc laticem ciuis, clarumq; liquorem,
Ad uarios usus, pistorq; coquusq; refusum.

FORNAX CALCARIA.

Per Balchofse.

Est calcis montem iuxta calcaria fornax,
Qua, lignis intermisitis, cumulata coquuntur
Crustula, de monitis uicini excisa caueris.
Fornace exhalat nidor, fumusq; per Urbem
Foetidus, à tepido Zephyris spiranibus Austro,

MOLA CALCARIA.

Die Baldemule.

Crustula post spissæ uectantur calcis in Urbem
Comminuenda molæ saxo est quæ proxima scabro
In gyrum uectans homo plenus polline calcis,
Bigas increpitans scrutica, circumuechit ingens
Saxum, quod calcis confringit crustula adustæ.

MONS CRETOSVS.

Per Treidenbergē.

Est quoq; figlinæ mons cretæ, uersus ad Arctos,
Cretam quam rapidus subiectus concoquit ignis,
Quæ celbris uergit mons, cui Tentoria nomen
Fecerunt clarum, multos retinetq; per annos.

FOR

FORNAX LATERARIA.

Der Tigelofe.

Memnoniam auroram spectat lateraria fornax,
Turrigeris mittit lateres quæ mœnibus altis,
Hinc ædes surgunt amplæ, fulgentq; per Vrbem
Turrigeræ, celebris sunt Vrbis mœnia firma.

Extra Vrbem,

PRAEDIA. AEDES AESTI-
uæ. Tabernæ. Syluæ. Horti &c.
Vrbem sunt claram dominorum prædia circum,
Plurima et Hesperi lù sunt horti, et amœna uireta,
Flumina, piscimæ, syluæ, sunt Thessala tempe,
Quæs ponunt rerum Patres post feria curas,
Massica quæ miscent, plenas paterasq; coronant.
Nectans Hammonos, Phœbeaç; carmina cantant
Ludicra quæs matres, Nymphæ, castæq; puellæ,
Exercant, fertis texunt uiolasq; rubentes.

KOLDEMOR PRAEDIVM D.

Francisci Vitzendorffij Consulis,
in primis amœnum, clarum,
& munitum.

Hæc inter tua nunc fulgent, amplissime Consul,
Prædia, qui Patriæ es Vitzendorff spesq; decusq;
Quæ stadio clara Phœbes spectantur ab Urbe,
Nonline de gelidæ uicinæ dicta paludis,
Arboribus circum lœtis est confitus hortus
Multi jugis: dicas Paradisum & Thessala tempe.
Piscibus

Piscibus in medio est magnis piscina repleta;
 Grandibus assurgit piscina ex flaminis imo,
 Structa domus saxis, magna in star Principis au-
 Est uarijs intus distincta ex sedibus altis, (la,
 Et nitidis fulget cameris Tyrijs q; fenestris.
 Inde uelut specula est, claram prospectus ad Vrbē,
 Quæq; patent longè, campos sylvasq; uirentes.
 Quæ tibi clara domus, curæ, dominusq; benignus,
 Et conuix præstans, curæ et sint pignora, Christe.
 Hanc primus sedem præstans Hieronymus olim,
 Vuitzendorff struxit, consul clarissimus Vrbis.
 Posidet atq; auget quam nunc dignissima proles,
 Franciscus consul, patriæ spes maxima nostræ,
 Cuius erat patris tam præstans gloria in Vrbe,
 Laudes ut maneant semper, nomenq; per ævum,
 Virtutis clarum nomen, non ulla uetus, tas,
 Non hominis poterit rabiosus tollere liuor.
 Ergo tuum nomen, laudes, Hieronyme, claræ
 Atq; decus, nostra semper fulgebit in Vrbe.
 Nostra tua laudis celebrans præconia quondam,
 Hæc tibi defuncto faciebat carmina Musa.
EPITAPHIVM D. HIERONY-
mi Vuitzendorff, Consulis huius in clu-
& celeberrimæ Vrbis prudentissimi,
magna sapientia, autoritate, gratia, uir-
tute, et pietate, libertatis patriæ ueri
& constantis. propugnatoris:
 qui obiit Anno 1556.

LOQVI

LOQUITVR CONSVL.

Consul eram patriæ constans Hieronymus, Vrbis,
 Vuitzendorff, columen ciuib⁹, atq; salus.
 Semper ego patrias leges, & iura tuebar,
 Maiores nobis quæ peperere pijs.
 Ut teneros pastor præsepit ouilib⁹ agnos,
 Ne rābidis fiant præda petita lupis:
 Sic ego muniuallis & mænibus Vrbem,
 Vrbem quam clemens, tu pater alme, tege.
 Insomnes duxi noctes ego s̄epe, breuesq;
 Exquirens uigilans commoda tuta meis.
 Principe non dignū est, noctem dormire per omne,
 Publica qui curat, qui populosq; regit.
 Omnia lustrauit, ueluti dux castra, per Vrbem,
 Sub noctem, portas, claustra, serasq; uagam.
 Publica que faciunt operæ monimenta regebam,
 Publica sic curæ commoda semper erant.
 Dogmata dilexi semper, Christiq; ministros.
 Pauperibus præstans commoda multa pijs.
 Vos ego, uos Ciues, hortor, sanctumq; Senatum,
 Exemplo ueterum iusta tenetē meo.
 Vinite concordes, pia Christi uerba colentes,
 Pauperibus panes frangite s̄epe pijs.
 Sic erit, ut semper felix Respublica uobis,
 Nec uos hostilis supprimet illa manus.
 Nūc moriens placidè ponam mea membra quiete,
 Dum redit in summo spes mea summa die.

VVVL SCHENBR OCK, PRAE
dium D. Stephani Leutzen.

Huic vicina palus, VVulschorum nomine dicta,
Prædia, Thessalicisque sunt lætissima campis
Aemula, quæ Stephanus Leutzen nunc possidet ille,
• Diuitiae cuius tota celebrantur in orbe.
Diuitiae munus gratum, uitæq; leuamen,
Quas etiam sancti multas habuere uetusti.
» Diuitias felix qui sic sibi querit in orbe,
» Diues ut in cœlo uiuat, maneatq; beatus.

A Q V I L E G I V M.

Der Schirborn.

Et duo sunt fontes, clarum queis nomen ab undis,
Vndis, quas mittunt longis siphonibus Vrbi.
Alter aquas Phœbi latitantes mittit ab ortu,
Quas tepido ueniens alter transfundit ab Austro.
Artis opus mirum, uitæ quod contulit usus,
Artes qui uitæ uarias inquirit & auget,
Hos lectis ueteres ab aquis dixerè coloni.

- SYLVA HORTVS FERA-
rum. Der Thiergarte.

Sylua feris sedes, hortus uocitata ferinus,
Moenibus est Vrbis stadijs submota duobus,
Gaudia quæ pueris adfert solennia ueris.
Gaudia Castalidum ueris sunt grata iuuentæ,
» Gaudia quæ studijs defessæ dentur honestis,
» Lufibus ut uires renouet solennibus anni,

Tempo-

Tempore quo ueris redeunt floralia festa,
Festatibus dantur, quæ parua iuuentus,
Ut redcas alacris magis hinc ad Palladis artes.

MONASTERIVM VETVS. Scharnbeck.

A Luna distat bis passus mille uetus, a
Scharnbeck, quæ Monachis dedit hic habitacula
Agricolis sedes miseris nunc sola relicta. (quod dā)
Cetera nunc etiam dic am uos prædia & arces,
Aestiuasq; domos, umbras quæ fertis amenas,
Delicias, curis medicin. in, & gaudia leta.

LVNA, COENOBIVM VIR- ginum Vestalium, & taberna.

Mœnibus hic Vrbis clares quoq; proxima Luna,
Virgineos cœtus, castæ & Collegia Vestæ
Clara fœnes, Vrbi musices quoq; pocula clare,
Dulcia quæ patria sacer Hammon mittit ab Urbe,
Cuius ad Hammonis diuini numinis aram,
Potantes multi glutinunt ædesq; trabesq;
Hos inter quidam nuper cum uenit ad assēm
Extremum, nec erat sapidi quod ponat ad aram
Amplius Hammonis, cauponam, uoce benigna,
Mutaret, ut paruum, rogitat, sibi gratatrientem.
Denegat hæc, potus petit & quod uesperre multo,
Ergo monet redeat claram maturus in Vrbem,
Ne cubet occlusis, scilicet coniuge, portis.
Hos, ait, ad muros meicns ædesq; trabesq;

Atq; uomens posui patrias : male grata recusas
 Nunc mihi semissim, releue quo guttur anhelum ?
 Apage sis , caponia procul, hinc cedito, dixit,
 Nos pocula Hammonis dedimus tibi dulcia Iacchi,
 Ingratus sordes meiens q; uomens q; relinquis.

D O C T O R E S I N H O C C O E-
 nobio tres, ab anno instauratae in du-
 catu Lunæburgensi Ecclesiæ, 30.

Hac docuit primus præstans Hieronymus, æde,
 Enthusen, coetus magna pietate fideles.

Lampertus sequitur quem post Gerneranus, et ipse
 Doctrina excellens, magna & pietate colendus.

Tertius hic zelo, docta & pietate, Suuiberte
 Rungi, nunc tradis diuina oracula Christi.

Luterhausen / Portus seu traie-
 ctus, Das Fahr.

Albidos est diues, portus Luderusia, naulis,
 Clara uiatorem uectans ad fluminis oras.

Cuius nunc Dominus præstans Franciscus in Urbe
 A Dassel, ueteri claro de stemmate, Consul. (est
 Consul ut hic uiuat Pylios, dic ciuis, in annos,
 Consul, qui patria meritis sic claret in Urbe.

V V I T T O R F F , P A G V S E T
 prædium Georgij Stoteroggen.
 Heroum scdes ueterum, Vittorpia pagus,
 Bardo-

Bardorum uico iacet amni proxima ad Arctos,
 Praedia ubi tua sunt, Stoteroggi, clara, Georgi,
 Praedia, quæ reditus tibi dant, & amena uireta.
 Coniugis amplexu crebrò hic letare benignè
 Prolifico, & sapiat tibi nectar lacteus Hammon.
 Sis manerasq; diu, cara cum coniuge, felix,
 Et crebrò faciat pulchra te prole parentem.
 Ut uidcas natos post te multosq; nepotes,
 Et laeti Pylios unà uiuatis in annos.

BARDORVM VICVS.

Bardewicf.

Bardorum uici quis nescit mœnia quondam
 Inlyta, quam fuerint præclarum nomen in orbe?
 Diruta trecentum nunc septuaginta per annos,
 Quatuor, hæc mittunt nostris bellaria mensis.

374.

TEMPVS DESTRUCTI

Bardeuici ab Hinrico Brunsuicensi, Leone, Anno Christi 1189.

Annales referunt, antiquæ gentis ADOLPHUM.

A Dassel Comitem, præualuisse uirum.

Millenis centum ritè, octingenta, nouemq;

Exactis, peperit cum pia Virgo Deum.

Ad terram Solymæ sanctam Fredericus abibat

Cæsar, qui hoc primus nomine dictus erat.

Holsatum Comitem secum dduxit ADOLPHUM.

Tum fuit is dominus, clara Lubeca, tuus.

Hinc abiens, Comiti terram committit Adolpho

A Dassel, magna propietate, uiro.

Tempore quo^d Hinricus Leo claram sustulit Vrbē,

Vicino, Bārdum, mœnia clara, solo.

» Vrbs hæc diues opum quondam, nunc fertile mësis

» Mittit olus, rapas, poma, nuces q; solum.

Hinc petit Hinricus claram superatq; Lubecam,

Desertam auxilio, præsidioq; diu.

Hunc Vrbis casum Comes ipse dolebat Adolphus

A Dassel, terræ cui data cura fuit.

Rex post Hinricus Romanus sextus in orbe,

Hæc inter pacis fœdera utrosq; facit:

Obtineat medium sibi ius Holsatus in Vrbē,

Et medium Hinricus, conditione pari.

Hanc Comes absenti Domino tum priestat Adola

A Dassel, magna propietate, fidem. (phus

Excidat atoto ne dux hic iure Lubece,

Hac opus in duris conditione fuit.

Huius ego clara Comitis de stirpe nepotes

Dasselos claros arbitror esse uiros.

Vrbe uel hæc clarus Comes is regnauit Adolphus,

Dassela, unde uetus gens sibi nomen habet.

Vrbs antiqua fuit, Bardwick ditissima rerum,

Vatis ut hæc ueteris carmina sena ferunt.

Quoq; sit hæc misere citò diruta tempore sauis

Armis Hinrici, qui Leo dictus erat.

, Nil manet hei, duratq; diu mortalibus ullis

» Rebus, sed subito, quæ ualücre, cadunt.

VER.

VERSUS DE ANTIQUITATE & destructione ciuitatis Bardeuuick,
hoc est, Bardorum Vici, ex cuius ruinis
Lunēburga condita est, Anno 1489.
qui uerius scripti sunt in fori-
bus templi Cathedralis
Bardeuicensis.

Abram dum natus, mox Treueris incipit ortus.
Anno mundi 1950. Abrahæ 2, ante Ch i cum
natum 2010.
Hinc annis Barduick mille, sex X. quoq; quin q.
Anno 1021. post Treuerim, Mundi 2971, an-
te natum Christum, 989.
Post Barduick, Roma, duo CC. cū quinq; triginta.
Anno 235. post Barduick, Anno mundi 3206.
ante Christum 754.
M. C. post Nat. iunctis octoginta, nouem q;
Dum Brunsuicensis Dux Hinricus Leo dictus,
Simonis in festo Barduick subuertit ab alto.
Anno posse conditum in mundum 5149. post na-
tum Christum 1188.

Ergo Barduicum

Roma capta	{	23
Nato Christo		989.
Destructio Bar- duico, & incho- ata Lunēburga		2178.
stetit	{	annis

CRANTZIUS IN SAXONIA

Lib. 7. cap. 2. ita inquit inter alia:

Adolphus autem de Dafslē, qui pro affine suo terrā regebat, absētis & ma-
ter Adolphi, cū coniuge Lubecam, pro
securitate sunt ingressi. Hinricus, cūm se
illi denuō fortuna aperiret, & iam tenu-
erit Holsatiam, inde arma, quanta po-
tuit maxima, contraxit. Accesserunt illi
Borchardus de Raceburgo, Bernhar-
dus de Vuelpe, Helmoldus de Suuerino
Comites, & alijs amici eius. Inter quos
crediderim generi sui Ranuti regis Da-
norum, arma non defuisse. Primum ag-
reditur Bardeuici urbem recuperare,
Sed pertinaciū illis repugnantibus, nā
inerat ualidum prēsidium, quod urbem
pro BERNHARDO Duce tueretur,
crevit obsidionis labor, & interueniēre
pugnantium inuicem, ut sit, cōtumelijs
plena uerba & facta, ut ferunt probrofa,
pro alterno contemptu. Quæ res Du-
cem exasperauit, indeq; factum est, ut,
dum fortius oppugnaretur, quām de-
fenderetur, urbs ipla die Apostolorum
Simonis & Iudæ, caperetur anno octa-
gesimo octauo post mille centum, & di-
reptio-

reptioni militum permittitur. Sævit gla-
dius, qui supererant cædi, capiuntur mi-
lites atq; ciues, post gladium ignis ho-
sticus desævit, ita, ut ex illo die non re-
surgeret urbs semel euersa, illa præclara,
& quæ memoriam antiquissimam fer-
tur habuisse, saxa & lapides inde deue-
huntur, uicinisq; urbibus incrementum
præbuerunt. Nam cùm à mari Lubeca,
ad Austrum Lunburgum increaserent,
Hamburgum quoq; nonnihil inde sen-
sit incrementi, cùm interim Bardeuicum
euanesceret, Bardorum olim duxere ui-
cum. Ego fundatorem eius Bardonem
ueteri Saxonum nomine arbitror ap-
pellatum, inde remansisse nomen Bar-
deuico, quoniam ex Brunone Brunfui-
co. Nam Bardos non unam quandam
gentem, sed generaliter omnem indi-
sciplinatum & barbarum uocant popu-
lum.

DE TREBETA SEV TREVE- ri, post quam conditum est Bardorum ui- cum, ita scribit Naucerus uicesima generatione.

Semiramis cùm haberet priuignum,
Trebetam dictum, suspicione affectan-

di regnum ducta, insidias illi parare cœpit. Qui classe facta ē regno, ex Asiaq; in Europam profectus, id est, per mare in Rhenum, ac inde per Mosellam fluuium in ualle pulcherrima Galliæ confedit, ibi q; florentissimam urbem, totius Galliæ caput, fundauit, ac Treuerim ex nomine suo appellauit. Extant ibidem hodie antiquæ nobilitatis monumen- torū insignia, e quibus circa annos Do- mini mille ducentos, repertum est in la- pide sculptum tale Epitaphium:
*Nini Semiramis, quæ tanto coniuge felix,
 Plurima possedit, sed plura prioribus addit,
 Non contenta suis, nec totis finibus orbis,
 Expulit à patrio priuignum Trebeta regno,
 Insignem profugus nostram qui condidit Urbem.
 Ante Romam, Treueris stetit annis mille trecentis.*

TEMPLVM ET ECCLE- sia Cathedralis.

*Est hic Bardorum uenerando Ecclesia templo
 Antiquo, clarum Magnus quod Carolus olim
 Condidit, eximia Cæsar pietate celebris.*

*Obiit an-
no 1559.* *Hindricus hac primus Matthæus Episcopus æde,
 Tradidit, accensus zelo, piæ dogmata Christi,
 Annos terdenos, minus uno, carus ubiq;*

Charum

Charum quem semper Princeps Ernestus habebat,
 Princeps, quo Christi non uixit amanior alter.
 Bockius Ernestus docta pietate Magister,
 Praesidet atq; docet Christū hac nūc æde secūdus.
 Tuq; pie adiutor, Calleni Paule fidelis.
 Palladias artes discit, Christumq; iuuentus,
 Hic clari et cantant cœtus pia carmina Christo.
 Hos inter primus fulges Hinrice uerende
 A Synden, docta præstans uirtute, Decane.
 Tu quoq; Dusterhoff decus, Theodore benignū,
 Hos interq; uiros, decus Heshusiane, uerendos.
 Hac quoq; clarebat præstans Iacobus in æde
 Schomaker, meritis, magna et uirtute colendus.
 Defuncti dedimus carmen, nos tale sepulchro.

EPITAPHIVM VENERANDI
 doctrina, uirtute & sapientia præstanti
 uiri, D. Iacobi Schomaker, Præpositi
 Ecclesiæ D. Ioannis in inclyta Lu-
 næburga, & Canonici Barde-
 uicensis, patricij Lunæbur-
 gensis: qui obiit anno
 1563. 12. Ianuar.

Hac quisquis ueteri transis, pie lector, in æde,
 Magnor. in noscas ut monumenta uirūm.
 Hic etiam celeres paulisper sistito gr. ssus,
 Nam restram magnum, parvata bella, uirūm.

Is fuit antiqua Patrum de gente Iacobus
 Schomaker, columnen, præsidiumq; pijs.
 Nanq; erat eximius pietatis semper amator,
 Eximius cultor Pieridumq; chori.
 Notitiam ueræ didicit pietatis in Vrbe
 Leucorea, doctis charus ubiq; uiris.
 Ad summos tandem uirtus euexit honores,
 Doctrina & præstans, hunc pietasq; uirum.
 Consequitur primum nomen, laudesq; uerendi
 Præpositi, dignum, clarus in æde, decus.
 Claret Ioannis templum, quod nomine in Vrbe
 Phœbes, quæ celebris, proxima nomen habet.
 Postetiam hoc dignus templo Collega uetusto,
 Ascitus, magna pro pietate, fuit.
 Non fuit hoc quisquam pietatis amantior alter,
 Alter uix toto castior orbe fuit.
 Vir fuit ex meritis præstans pietate, fideq;
 Qui coluit semper dogmata sancta Dei.
 Atq; pios cœtus fouit, doctosq; benignè,
 Pauperibus carus, pauperibusq; bonus.
 „ Summus erat pubis Clariæ nutritor, ab huius
 „ Limine non quisquam tristis abibat inops.
 Inter erat magnas hæc semper maxima cura,
 Cura decet cunctos quæ pia, crede, uiros.
 Ne percant reges, quæ multa dedere, uetusti,
 Cœtibus in Christo, pauperibusq; bona.
 Tanta fuit quoniam uirtus, pietasq; Iacobi,
 Omnibus ex meritis carus ubiq; pijs.

Heu fato nuper uiuis exceſſit acerbo,
 Doctorum columnen, præſidiumq; uirūm.
 Ast quoniam in Christo placide diſceſſit ad aſtra,
 Cœlicolas inter gaudia latus agens:
 Hac ſua diuina ſolatus triftia uoce,
 Vita mihi Christus, mors mihi lucra feret.
 Gratantes merito laudes nunc dicimus omnes,
 Gnate Dei, tanta pro bonitate, tibi.
 Hoc poſuit gelido tantus uir membra ſepulchro,
 Spiritus in cœlis gaudia latus habet.
 Donec ab æthereo deſcendat Christus Olympo,
 Pro meritis reddat prämia cuiq; ſuis.
 Christe, precor, nobis permultos reddito tales,
 Qui tua ſic curent dogmata sancta, uiros.
 Quosq; uident multos, paſſim Collegia ſerua.
 Ad laudem ſancti nominis ipſe tui.
 Hic tua qui diſcunt coetus oracula, ſerua,
 Ut faciant omnes plurima grata tibi.
 Hic etiam Hermanni uenerandus claruit Otto,
 Ordine de ueterum myſtarum p̄ſbbyter unus.
 Vir fuit inſigni p̄acellens arte notandi,
 Argenti magnam qua uim congeſſit & auri,
 Inter opes pauper magnas traducere uitam
 Aſſuetus duram, coenas & prandia parca.
 Distribui ſanctis moriturus ſcripsit egenis
 Argenti partem, partem donauit amicis.
 Pars est Aonidum ſanctæ donata iuuentæ.
 Nac̄ius hac etiam p̄eſtans psallebat in ēde

Carmina

Carmina cœlesti pro donis grata parenti,
 Carmina qui doctus lusit, doctusq; canebat,
 Aonidumq; choros adamabat laetus et auxit,
 Nacchius heu fato tristi delapsus ab altis
 Sedibus, interiit miseranda morte peremptus,
 Cum Lapithis seuis, interq; coactus atroces
 Ductores bellum, totos haurire cululos.
 » Heu fugite immanes Lapithas, Martisq; feroes
 » Ductores, tristi moniti discrimine nostro.
 » Heu fugite Hammonis plenos Bacchiq; cululos,
 » Qui placidum colitis Phœbum, mitesq; camœnati.
 Nacchius hec fatus lumen uitale reliquit.
 Os sa tenet tumulus, petijt mens gaudia cœli.

PRECATIO CONTRA MORTEM SUBITANEAM, & ALIA UITÆ PERICULA.

Nos pater à cunctis præserua, summe, periclis,
 Atq; caue subitæ tristia fata necis.
 Sit sensus plenus nobis, rogo, mortis in hora,
 Inq; tu regni gaudia leta uehe.
 Tristibus est hominum miserorum uita periclis.
 Est Satanae insidijs subdita mille trucis.
 Nos Satanas ueluti saeuus leo circuit omnes,
 Querens sanguineo quos uoret ore pios.
 Hic rapit exacuens in mutua bella propinquos
 Reges, ut faciant uulnera seuia sibi.
 Hic facit, ut multi stricto sibi uiscera ferro
 Transfigant, summa præcipitentq; domo.

Hic

Hic facit, ut gnatus genitorem uerberet ense,
 Atq; parens gnatum perdere sœus amet.
 Hic facit, ut laqueo multi sibi guttura frangant,
 Et querant undis tristia fata sibi.
 Coniugis in caræ ferrum quoq; uiscera coniunx
 Stringat, & in matrem filia ferrapiam.
 Flamma inopina domos exurat & oppida passim,
 Et rapiat claros mors inopina uiros.
 Hi crudo percant Cereris Bacchiq; liquore,
 Hos necet ingluuiies, exanimetq; fames.
 Sic ruit in cineres, quæ merces ponderat emptas,
 Ignem domus sœuo, clara Lubeca, tua.
 Multa bona hoc percunt, perijtq; miserrima mater,
 Natis cum paruis, igne perempta, tribus.
 Desilit hei tecto, complectens pectore Gnatum
 Mater, qui perimit casus utrungq; grauis.
 Index quem clemens soluebat fune necandum.
 Is tamen hei frangit post sibi colla miser.
 Hos inter sœuos nisi nos, pater optime, casus
 Serues, hei nostrum quis superesse queat?
 Ergo tuus circum sanctus nos angelus adstet,
 A nobis hostem pellat ut ipse procul.
 Ut tibi dicamus meritæ præconia laudis,
 Nos tegat in cunctis quod tua dextra malis.

Die
 Wage.
 Anno
 1564. 3. Fe
 bruario
 nocte.

DOMVS LEPROSORVM

D. Nicolai.

Est domus hic quoq; Niclai de nomine dicta

Ami-

Antiquis quæ alimenta uiris dat grata benignè,
 Lurida quos uexat miseris prurigine lepra.
 Quorum nunc, consul pius est Franciscus, alumnus
 Vuitzendorff, in opum solamen, portus, et aura.
 Hospitia atq; domus multas struxere uctusti,
 Huic similes, sanctis sumptusq; dedere benignè.
 Pauperibus paßim magna pietate fideq;
 Pauperibus sedes, sumptus quis tempore nostro
 Constituit tales, ueterum hæc exempla seculus?
 Quinetiam multi, bona quæ tribuere uctusti,
 Pauperibus Christiq; scholis, conuertere ad usus
 Prophanos audent, turpi et profundere luxu.

FRESTORFF, PRAEDIVM Garlopiorum.

Tu sequeris claro iam Frestorff ordine sedes,
 Fluminis in ripis, Bardorum proxima uico,
 Heroum ueterum est quæ nunc Garlopicæ sedes,
 Fertilis arboribus, campis lætissima amoenis,
 Hanc struxit primus sedem Garlopius olim
 Hinricus prestans opibus, clarusq; per Vrbem.
 Virtutum meritis consul uenerandus et annis,
 Alter nunc dominus fulget Franciscus, et ille
 Diuitijs amplius, nulli uirtute secundus.
 Vuitzendorff coniunx cuius Garlopicæ proles,
 Est decus excellens Patriæ, est spes altera gentis,
 Que rogo cum domino Pylios ut uiuat in annos,
 Et uiuat

Et uiuat soboles, uiuant quicunq; sequentur
 Sanguine ab hoc claro: mane at Garlospica sedes,
 Et Domino Hammonem dulcem Frestorpia misce,
 Concilia somnos, curis da dulce leuamen.

SLVSA, TABERNA.

Blađidula Hamonis iacet hic, tibi pocula miscens,
 Slusia Bardorum Vici amnis proxima ripis.
 Hammon est numen potantis dulce palato,
 Ingreditur quoties Hammon tua uiscera laetus,
 Egreditur loculis tristis tibi nummus ab imis.
 Viscera fac Hammon moderatè blandulus intret,
 Sic sanum corpus, tua mens quoq; sana manebit,
 Pesq; suas faciet partes tibi certus eundi.

D E C E R E V I S I A Hammoniaca,

Mashica triticeo coquit Hammon uina liquore,
 Mashica iudicio sunt, Raimunde, tuo.
 Hec Latius nostris quondam Raimundus in oris
 Pocula degustans, talia uerba refert:
 Quām bene Zyte libens es̄es Hammonice uinum,
 Sic transis gratus, guttura nostra, sapor.
 Zytus erat uinum præstans Hammonicus olim,
 Præ ueteri noster Zytus ut unda sapit.

98

BONA MODICE sumpte.

Si bonus est Hammon, guttur si lacteus intrat,
Hæc modicè sumptum comoda nectar habet:
Corpus alit, succosq; bonos in corpore gignit,
Atq; boni plenum sanguinis esse facit.
Atq; cutem reddit teneram, formamq; uenustam,
Et lapidis frangit crustula dura trucis.
Astrictilaxat uentris quoq; claustra benignè,
Omnibus est Hammon sic medicina mali.

MALA IMMODICE haustæ.

Hauris Hammonos modio si pocula lacchi,
Corporibus plenis hæc nocumenta dabit:
Deformat turpi faciem leniigine, nasos
Immodicos reddit, tuberibusq; rubros.

PENINSULA TO₂ bingorum.

Proxima sunt gentis Tobing hinc prædia clarae,
Blandulus hic Hammō pateras tibi lacteus implet.
Horridus est Hammon, oculis si plenus ad imum
Descendat pateris: letus, si lacteus exit.

SPECVLA ET TABERNA pfaffenburgē.

Arx hæc clara uia est, papalis nomine dicta,
Grata uatori ueniensi Hammonis ab Urbe.

Atq;

Atq; alijs nostrām quos hac via ducit ad Vrbem,
 Arx sedem præbet, requiem, sapidumq; liquorē
 Numinis Hammonis, quo non est dulcior alter.

AEDES ANTONII GLO- den, Patricij.

Aedes post clari Gloden spectantur amoena,
 Quæ sibi construxit præstans Antonius olim,
 Finibus Octomisie, madidas uergentia ad undas,
 Antoni fulgens generis spes altera clari.
 Te Pylios clemens seruet quoq; Christus in annos,
 Et faciat pulchra coniunct te prole parentem.
 Aedibus his claris sapiat benè lacteus Hammon,
 Hammon est natus, tristes depellere curas.
 Gaudia sunt ultæ pia, sit moderata uoluptas,
 Sic corpus sanum, longos gaudebit in annos,
 Et manet in sano gaudens mens corpore sana.
 Sic manet in cœlis tibi clemens atq; benignus,
 Nostros qui, Dominus, moderatos fecit ad usus,
 Quicquid habet potus, terrarū atq; ambitus orbis.

»
 »
 »
 »
 »
 »

HASENVVINCKEL, AEDES D. Hieronymi Gloden Senatoris.

Hic est clara domus, leporum de nomine dicta,
 Hic lepores abdunt quoniam se fortè latebris,
 Grata canum si ant ne quando præda sequentum.
 Hæc tua nunc sedes domus est, et grata uoluptas,

*Curarum requies magnarum, clare Senator
A Gloden, partiam qui sic, Hieronyme, curas.*

R E P E N S T E D E , S P E C V .
*la Vrbis, taberna, & ædes Tøbing
Patriciorum.*

*Hic etiam celebris tractu est Repstedia amœno,
Occiduo uersus Zephyros hic pagus ab Vrbe,
Mœnibus à Lunæ est stadio uix amplius uno.
Ædes hic claræ spectantur, & hortus amœnus,
Quæ Tobingiacæ sunt gentis prædia claræ.
Pocula et hic loculos uacuant fumantia nummis,
Hic tua cum lustro latus, Repstedia, amœna,
Tristior hei uultus moesto est obducta dolore.
Musa mihi memorans, consul, tua fata, Georg
Tobing, qui nuper fulgebas tantus in Vrbe,
Cui fuit hic requies curarum, & grata uoluptas,
Tristior, hunc quondam nobis cum fata maligna
Eripuere uirum, dictabat nostra sepulchro
Musa elegos tristes hos pectore & ore querenti.*

Q V E R E L A D E I M M A -
*tura & inexpunctata morte huius præ-
stantissimi & clarissimi consulis.*

*Sic decus o patriæ, moreris Tobinge Georgi,
Tam subito, excellens consulim urbe tua?*

Planæ

plangite nunc ciues, patres, uos plangite matres,
 Plangite nunc iuuenes, plangite cuncta uirum.
 Hei subito clarus nobis subducitur heros,
 Qui columen patriæ præsidiumq; fuit.
 Ah similes multi longo sunt ordine nuper
 Extincti nobis, lumina clara, uiri.
 Te precor, alme pater, nostrā nunc protege clemēs
 Vrbem, quæ grati dogmata sancta colit.
 Suffice continuo similes, precor, ordine multos,
 Eloquio claros, consilijsq; uiros.
 Quosq; habet Vrbs reliquos, serua, clarumq; Sena
 Doctrinæ eximios, & pietate uiros. (tum,
 Angelus ut casset feriens, dic optime, tandem,
 Ut maneat sanctum semen in Vrbe tibi.
 Consilijs floret felix Respublica rectis. " "
 Consilijs percunt fortiare regna malis. " "
 Sola sedens ueluti mater, cum prole dolente,
 Mœsta dolet mortemconiugis orba sui.
 Inclita sic mœret nunc Lunæburga, perempto
 Consule, qui patriæ sp̄ esq; decusq; fuit.
 Mœrens, quo sp̄ estat, pia mater, uoce requirit,
 Absentem querula fletq; doletq; uirum.
 Parua cohors frustranatorum, sepe parentem
 Ah quoties charum nomine mœsta uocat?
 In tanto matrem luctu soletur ex Vrbem,
 Mœremūm exaudit qui pia uota Deus.

EPITAPHIVM EIVSDEM

defuncti, Anno 1560. 16. Augusti.

Hac etiam consul sua membra Georgius urna

Tobingus posuit, charus in Vrbe bonis.

Natus agens octo uir tamen lustra sub ipso

Aetatis medio, flore uirente, suæ.

Clarus in octauum fasces qui gesserat annum,

Nestoreos consul uiuere dignus, obit.

Virgineo à partu Phœbus cum mille per orbem,

Quingentos unum, sex deciesq; dedit,

Sextilis medium decies ubi uexit in axem

Phœbum, & in occiduas prima uocarat aquas.

Rite Senatoris binos uir functus honore

Annos, fit meritis consul in Vrbe suis.

Vir fuit eloquio clarus, pietate fideq;

In dubijs prudens, consilijsq; bonus.

Rara fuit tanti sapientia consulis, ingens

Gloria, maiestas, fulsit in ore decus.

Alloquio comis, facilis, bonus, integer, almæ

Pacis amans, ueri, iustitiaeq; tenax.

Ereptus patriæ est tantus quo tempore consul,

Hei dolor, hei tota quantus in Vrbe fuit.

Ereptus patriæ est, dubijs cum pressa periclis

Inelyta consilijs Vrbs eget ipsa bonis.

Ossa pia in cimeres placide resoluta quiescunt,

spiritus in Christo gaudia laetus habet.

Ossa cubant gelida communi patris in urna,

Hic uoluit nomen, facta, genusq; legi.

BRECK.

BRECKVVINCKEL, AEDES

Alberti Musseltin patricij.

Semibus hic clares medijs, Breckwincklia, duris,
 Multiplici merito gaudens de nomine felix.
 Sit licet in spinis tua sedes, atq; rubetis,
 Fers tamen ipsa napos grandes, das pocula plena
 Hammonis sapidi, dominus quæ mastica miscet
 Albertus, generis Musseltin, gloria auiti.
 Alloquio facilis, promptus, casteq; facetus.
 Heroas tales edunt hæc tempora raroſ.

SNELLENBURGK, PRAE- dium uiduæ relictæ Francisci à Meding.

Ocyros stirpis sedes Heroica claræ,
 Tempore, quo subitò Phœbæ exercitus Vrbis
 Inclytus ascendit muros, sub nocte silenti.
 Hic, ut fama refert, Vrbis cum moenia Phœbes
 Hostia turma petit, muros ut scanderet altos,
 Nobilis, & senio doctus, multisq; periclis
 Bellorum, & Martis longo discrimine sæui,
 Fortunam belli metuens, ictosq; feroceſ
 Ocyori, morbum simulans, diuertit ad ædes
 Agricolæ noti, vicino habitantis in agro,
 Fatur ad hunc ultrò uarians, citroq; benignos
 Sermones, augur crudelis cædis in Vrbe
 Chaonia, Porcos inter si glande feroceſ
 Magna cohors sifat laniantium forte luporund.

Anno
1371.

Quos penes huius erit, mihi dic, uictoria belli?
 Rusticus haec, hospes bone, contra prouidus inquit,
 Cingentes metuo laniabunt terga luporum
 Glande saginati porci, & abdomine fortes.
 Nobilis, haec eadem metuo, bone Rustice, dixit,
 Crastinus experimenta dies uera adferet ortus.
 Hei nunc quam fortes inter se prælia miscent,
 Ocyoros claræ stirpis quæ fertilis olim
 Claruit, est sedes ueteris modò prolis amœna
 Francisci à Meding, Martis qui clarus in armis,
 Occubuit latis, quos fers, Siuerhusia, campis.
 Carolus hic princeps Brunsuigius, atq; Philippus,
 Anno 1553. 9. Iulij. Occidit, atq; ingens equitum peditumq; ceterud,
 Bello, quod scuum gesit dux Noricus ardens,
 Albertus nostris nuper bellator in oris.
 Martius & Princeps cadit hic Mauritius ille
 Saxonicus, bellis toto celebratus in orbe.
 » Hei cadit hic heros clarus Fredericus & ille,
 » Gloria qui Phœbes fulgebant maxima terræ.

S P E L V N C A

Schiltstein.

Hic quoq; uasto iacet spelunca, et sentibus horres,
 Qualis erat Caci uasto truculenta recessu.
 Aegidos à saxis ueteri de nomine dicta.
 Herbarum, fruticumq; frax, benevolentium odore,
 Hanc rentur multi natuuo horrescere saxo,
 Esse alij calcis ueterem laterisq; fodim.am.

S A L -

S A L T V S M eindenhoff.

Est specus saltus sinuoso proximus Vrbis,
 Famosus, Meneken tumuli de nomine dictus,
 Conscius illicitæ Veneris, tædæq; nefandæ.
 Frondibus aestuus facit hic umbracula densis,
 Se quibus occultant, miscentes corpora furtim.
 Corpora quid furtis maculatis sancta nephandis?
 Est Deus, est castus, uos, qui transuersa tuctur, 22
 Puniet hic, quamuis nunc post arbusta latetis, 22
 Et uidet, & præsens audit Deus omnia ubiq;, 22
 Quæ faciunt homines, & dicunt, fanda, nefanda. 22
 Est mens casta Deus, mentes castasq; requirit:
 Concubitus punit uetitos, Hymenæusq; uagantes. 22
 Hos perijt primus propter submersus in undis
 Orbis, sulphureis perierunt ignibus urbes
 Gomorrhæ & Sodomæ, Sybaris deleta q; Troia,
 Roma q; cum Sparta, perijt Miletus, Athenæ,
 Benniaminiq; tribus, ciues perierte Sichimæ,
 Et perijt soboles Heli, perierte Byzanti
 Ciues; hos propter rex sensit tristia David
 Plurima, per Gnatum folio deiectus, & exul.

G R O N H A G E N, P R A E D I-
 um & ædes inclytæ Principis, D. E B E R-
 HARDI ab HOLLE.

His Rubus est clarus uiridis celebratus in oris,
 Inclytus est cuius Princeps Eberhardus ab Holle,

Mella fluant illi, ferat & rubus asper amomum.
Sit felix Princeps, Pylios sit saluus in annos,
Cuius sic toto nomen celebratur in orbe.

**HEILGENDAL, PRAE DIVM
& ædes D. Doctoris Ioachimi Mollerij
consiliarij Illustrissimorum Princi-
pum Lunæburgensium.**

Tu quoq; sacra, precor, manas letissima uallis,
Vallis, quam Doctor præstans Ioachimus in aula
Possidet ex meritis, Mollerus, gloria clara,
Principibus terræ spes, qui sapientibus aulam
Consilijs, terram, sanctis, legesq; gubernat.
Coniugis est cuius decus, est spes gloria gentis
Clammeræ, sobolis mater mitissima clare.

**OEDEM, PAGVS
& taberna.**

Oeda iacet stadio pagus semotus ab Urbe,
Amplius aut paulo, tepidos auersus ad Austros.
Venditur hic Hammon, numen potoribus almum,
Horridus hic Hammon si sit, tristisq; palato,
Condulcat uerbis numen capona benignis.
Ecquid enim refert, quoniam tibi reddit amicum
Numen, quo d loculos haustum tibi reddit inanes.

**HASENBVRG, SPECVL
uetus Vrbis, taberna.**

Arxiacet antiquo leporum de nomine dicta,

Monia

Mœnibus à Lune studio, que uergit ad Austros.
 Arx fuit hæc olim ſpecula, & munimen ad Vrbem,
 Ciuibus ut ſeuum uenientem nunciet hostem,
 Hospitis eſt nuper ſed facta taberna miselli.
 Horridus eſt Hammon, forſan ſi factus in urna,
 Hammon ut mitis fiat, bonus atq; benignus,
 Hospes caſtigat uirgis, miſereq; fatigat,
 Surzat ut in ſpumas, agitatus blandulus intret
 Viſceria, que torquet poſt Hammō, cœſus in urna,
 Viſceribus planctum pariens, tristemq; tumultum.

SLVSA SENATVS.

Ultima nunc mihi Slufa uenis celebranda Senatus,
 Slufa tibi nomen clarum, quod claudis in undis,
 Etrapidos ſiftis fluctus, reſerasq; fluenues.
 Hic quoq; noſtra breue claudit nunc Muſa libellū,
 Inclyta quem uultu cape Lunæburga benigno,
 Caſtalidumq; ſoue coetus, Christiq; uerendos,
 Sic tua non unquam cludentur flumina ſomis,
 Claraq; fulgebis totum celebrata per orbem.

F I N I S.



INDEX EORVM, QVAE IN HOC LIBEL- LO CONTINENTVR.

<i>Gratiarum actio, pro initia concordia & pace inter Principes Illustrissimos, et cunctatem Lunæburgensem</i> folio 9	<i>Epitaphium D. Vrbæni Rheygi</i> 31
<i>Narratio de solenni pacificationis confirmatione</i> 17	<i>Epitaphium D. Christophori Hegendorphini</i> 33
<i>Precatio ad Trinitatem, pro inclyta Luneburga et ducatu</i> 18	<i>Epitaphium seu Epicedion D. M. Frederici Henninges Superintendencis</i> 35
<i>Narratio de origine, incremento, et conservatione Lunæburgæ</i> 20	<i>Bibliotheca in templo D. Virginis</i> 38
<i>Epitaphium M. Ioannis Colleri, Protonotarij</i> 26	<i>Epitaphium M. Hermanni Tulichij</i> 39
<i>Epitaphium D. M. Georgij Tilitz LL. Licentiati, Protonotarij</i> 29	<i>Nouum auditoriū aditum schole ueteri</i> 40
<i>De instaurata Ecclesia in Lunæburga</i> 30	<i>Situs Vrbis</i> 41
	<i>Ambitus intra muros, latitudo & longitudine Lunæburgæ</i> ibi.
	<i>Aggeres, valla, fossæ et turre</i> ibi.
	<i>Mores populi</i> 42
	<i>Consules quatuor</i> ibi.
	<i>Senatores undecim</i> 43
	<i>Sex</i>

INDEX.

- | | | | |
|------------------------|-------|--------------------------|------|
| Sex portæ | 44 | Ecclesia | 55 |
| Elbenau fluuius, | ibid. | Organū nouum in tem- | |
| Monasterium S. Mi- | | plo D. Ioannis | ibi. |
| chaëlis | ibi. | Curia, domus Princi- | |
| Epitaphium D. Bol- | | pis, & aliae insignio- | |
| duini Marnholt, Ab- | | res | 56 |
| batis Monasterij S. | | Epitaphiū D. Ludolphi | |
| Michaëlis | 45 | à Dassel consulis | 57 |
| Epitaphium D. Her- | | Epitaphium D. Hinri- | |
| bordi ab Holle, Ab- | | ci Garlopij cōsulīs | 59 |
| batis eiusdem Mo- | | Epitaph. D. Nicolai Sto- | |
| nasterij | 46 | teroggij consulīs | 60 |
| Templum S. Michaë- | | Epitaphiū D. Theodori | |
| lis, eiusq; origo | 47 | ci Elueri consulīs | 61 |
| Tabella aurea in tem- | | Epitaphiū D. Hardui- | |
| plo monasterij S. Mi- | | ci Stoterog. cōsulīs | 62 |
| chaëlis | 48 | Epitaphiū D. Hardui- | |
| Schola D. Michaëlis | | ci Schomaker conf. | 63 |
| noua | 49 | Consules undecim, Se- | |
| Conflagrata coquina | | natores | 65 |
| huius celeberrimi & | | Mons calcarius | 67 |
| ueteris monasterij | 50 | Salina uetus | 68 |
| Templa Vrbis | 51 | Salina noua | 70 |
| Ministri ac Doctores | | Cupa salinaria | ibi. |
| Ecclesiae tredecim | ibi. | Cœtus pueriles canen- | |
| De conseruata puritas- | | tes per urbē hoc die, | |
| te doctrinae Euange- | | Thyrfigeri | 72 |
| lij in Lunæburgensi | | Pharmacopolion | ibi. |

Domus

INDEX.


- | | |
|--------------------------|--------------------------|
| Domus telonaria Prin- | Vvulschenbrock, pre- |
| cipis | dium D. Stephani |
| Oenopolion | Leutzen |
| Tabernæ tres cereui- | Aquilegium |
| sie Hammoniacæ | ibi. |
| Remedia cereuifæ Ham- | Sylua, hortus ferarū ib. |
| burgēfis horridæ, mu- | Monasterium uetus |
| scidæ et insipidæ | Stharnbeck |
| Xenodoches duo | Luna, cœnobium Vir- |
| Turris D. Ioannis Sprin- | ginū Vestalium, & |
| ginteguth, consulis ac- | taberna |
| censæ fulmine, et con- | Lüterhusen / portus |
| flagrata | seu traiectus |
| Precatio ad Trinit. | Vuittorff, prædiū Ge- |
| De reædificata turre | orgij Stoteroggij ib. |
| Springudij | Bardorum uicus |
| Statio naualis, domus | Tempus destruci Bar- |
| mercatoria, & Ge- | deuici |
| ranion | ibid. |
| Turres aquariæ due | Versus de antiquitate |
| Fornax calcaria | et destructione ciui- |
| Mola calcaria | tatis Bardwick |
| Mons cretosus | Crātzius in Saxonia lib. |
| Fornax lateraria | 7. cap. 2. de destruc- |
| Koldemor, prædiū D. | tione Barduici |
| Frācisci Vitzendorf- | 88 |
| fij, consulis | De Trebeta seu Tre- |
| Epitaphiū D. Hierony- | ueri Nauclerus |
| mu Vitzendorffij | Templum et Ecclesia |
| | Cathedralis Bardu- |
| | uicensis |
| | 90 |
| | Epitaf. |

I N D E X.

- | | | |
|--|---|--------------|
| <i>Epitaphiū uenerandi
uiri D. Iacobi Scho-
maker, Præpositi Ec-
clesiæ D. Ioannis, &
Canonici Bardeui-
censis</i> | <i>Querela de immatu-
ra et inexpectata mor-
te Georgij Tobing
consulis</i> | <i>ibid.</i> |
| | <i>Epitaphiū eiusdem</i> | <i>102</i> |
| | <i>Breckwindel/ædes</i> | |
| <i>Precatio contra mor-
tem subitaneam, &
alia uitæ pericula</i> | <i>Alberti Musseltin</i> | <i>103</i> |
| <i>Domus leprosorum D.
Nicolai</i> | <i>Schnellenburg/ præ-
diū Fräci. à Meding</i> | <i>103</i> |
| <i>Frestorp, prædiū Gar-
lopiorum</i> | <i>Spelunca, Schiltstein</i> | |
| <i>Slusa, taberna</i> | <i>Saltus, Weinckenhoo-
fe</i> | <i>104</i> |
| <i>De cereuifia Hammō-
niaca</i> | <i>Gronhagen, prædium</i> | |
| <i>Peninsula Tobingorū</i> | <i>et ædes inclyti Prince-
cipis D. EBER-</i> | |
| <i>ibid.</i> | <i>HARDI ab Hol-
le</i> | <i>ibid.</i> |
| <i>specula & taberna
pfaffenburg</i> | <i>Heilgenthal / præ-
dium et ædes D. Do-
ctoris Ioachimi Mol-
leri</i> | <i>105</i> |
| <i>Aedes Antonij Glö-
den patricij</i> | <i>Oedem, pagus & ta-
berna</i> | <i>ibi.</i> |
| <i>Hasenwinckel/ædes
D. Hieronymi Glö-
den Senatoris</i> | <i>Hasenburg/ specu-
la uetus Vrbis, et ta-
berna</i> | <i>ibi.</i> |
| <i>Repenstede, specula, ta-
berna, & ædes To-
bing</i> | <i>Slusa Senatus</i> | <i>107</i> |

F I N I S.

OCN 84705988



Chapman
and Hall
London
1880



1998.0003.1.1.005-

que ualitatem. et auctiuitatem. non capi-
tare. et auctoritatem. non capi-
tare. quod auctoritate. auctoritate.
et auctoritate. auctoritate. auctoritate.

